DE ATHENIENSIVM IMPERIO QVID QVINTO QVARTOQVE A. CHR. N. SAECVLO SIT IVDICATVM.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS ROHDE.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt

M. Pohlenz et G. Busolt.

Examen rigorosum habitum est a. d. XI. Kal. Mart. a. MCMXIII.

PARENTIBVS

S.

Argumentum.

pagina

Caput I: Quid de imperio Atheniensium eis quinti saeculi temporibus iudicatum sit, quae bellum Peloponnesiacum antecedebant . . . . 1—12

1. Socii . . . . 1—6

2. Optimates Atheniensium; Thucydidis cum Pericle certamen . . . . 6—10

3. Herodotus . . . . 10—12

Caput II: Quae iudicia belli Peloponnesiaci temporibus de imperio facta sint . . . . 13—53

1. Optimates Atheniensium . . . . 13—25
   Ps.-Xenophontis Ἀθηναίων πολιτεία (13); Aristophanes (19).

2. Thucydides . . . . 25—50
   a. Ipsius scriptoris sententia . . . . 25—32
   b. Qua ratione coniuncta sint iudicia de imperio facta cum quaestione illa, ex qua disputabatur, utrum iustitiam (τὸ δίκαιον) an utilitatem (τὸ συμφέρον) normam esse oporteret . . . . 32—39
   c. Quid scriptor Athenienses, qui imperium gubernabant, urbis hostes, socios de imperio iudicantes fecerit . . . . 39—50

3. Socii . . . . 50—53

Caput III: Quid de imperio iudicatum sit inde ab anno 404 usque ad alterius societatis maritimae ruinam . 53—73

1. Quo animo diversae partes in imperium fuerint, postquam ipsum dilapsum est . . . . 53—55

2. Plato . . . . 55—57

3. Athenienses novam societatem condere student: Isocratis Panegyricus . . . . 57—64

4. Quid alterius societatis ruina ad iudicia de imperio facta valuerit . . . . 64—73
Platonis Leges (64); Isocratis Symmachicus et Areopagiticus (65); Xenophon (72).
Caput IV: Posteriore saeculo quarto quae fuerit imperii existimatio . . . . 73—92
1. Isocratis de bonorum permutatione libellus, Philippus, Panathenaicus . . . . 73—79
2. Theopompus et Ephorus . . . . 79—81
3. Aristoteles . . . . 81—83
4. Demosthenes ceterique huius aetatis oratores 83—90
5. Epitaphii . . . . 90—92
Conclusio . . . . 93—95
Index rerum 96

Caput I. Quid de imperio Atheniensium eis quinti saeculi temporibus iudicatum sit, quae bellum Peloponnesiacum antecedebant.

Athenienses Persis propulsatis vera cum gloria praedicare poterant se potissimum omnium Graecorum vindicasse libertatem; et cum Pausanias Byzanti omnibus in odium venisset, Graeci foederati exceptis Peloponnesiis ultro Atheniensibus summam imperii maritimi detulerunt. Qua ratione hi principatum adepti sunt societatis, quae Graeciam tutam reddebat a Persis, quae sola civitatibus Graecis Asiae, insularum, orae Thraciae salutem atque incolumitatem praestabat. Quis dubitat, quin illis temporibus, quibus omnium animi gloriosis victoriis modo de barbaris partis inflammati erant, plurimi Graeci novam societatem Atheniensibus ducibus factam celebraverint?[1])

1. Itaque ipsi quoque socii primo propensa fuerunt voluntate in Atheniensium principatum[2]). — Sed

---

1) Aristoteles tradit (Ἀθην. πολ. 23.2): συνέβη γὰρ αὐτοῖς (sc. τοῖς Ἀθηναίοις) κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον ... παρὰ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκιμῆσαι καὶ τὴν τῆς θαλάττης ἡγεμονίαν λαβεῖν.

2) Hoc vel ex iis apparet, quae Thucydides de postera aetate tradit (I 99.2): ἦσαν δέ πως καὶ ἄλλως οἱ Ἀθηναῖοι οὐκέτι ὁμοίως ἐν ἡδονῇ ἄρχοντες. — Praeterea afferri possunt laudes, quibus et socii Aristidem ornaverunt (cf. Plat. Gorg. 526 b: πάνυ ἐλλόγιμος ... καὶ εἰς τοὺς ἄλλους Ἕλληνας, Diodor. XI 47.2; etiam Timocreon (frgm. 1, Bergk), quamquam acerbe in Themistoclem invehitur,

ubi a Persis nullum iam periculum instare putaverunt atque viderunt societatem, ad quam servandam permulta impendebant, magis magisque ad Atheniensium arbitrium administrari, indignari coeperunt novum rerum ordinem.

Iam circa annum 469 [1]) Naxus aperte fidem mutavit. Athenienses autem hanc civitatem, postquam eam in potestatem redegerunt, primam privaverunt libertate; qua ab re Thucydides existimavit eorum dominatum cepisse exordium (I 98.4: πρώτη τε αὕτη πόλις ξυμμαχὶς παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐδουλώθη). — Quibusdam annis post Athenis populares Ephialte et Pericle ducibus prorsus rerum potiti sunt, et sociorum optimates ex hoc tempore Atheniensibus admodum diffisos esse consentaneum est. Sed etiam ex popularibus urbium, quorum fide Athenienses nitebantur, multi sine dubio iam tum aegre ferre coeperunt imperium (cf. h. op. cap. II, 3). Insequenti enim aetate civitates paulatim plane urbis imperio subiectae sunt [2]), imprimis eae, quae Atheniensium auctoritate se liberare conatae erant (cf. Thuc. I 99, III 10.4-5).

Aristidem laudat); nam etsi locis, quos nunc legimus, semper sola ipsius viri iustitia praedicatur, tamen socios nonnihil etiam propensa in novam societatem voluntate commotos esse puto ad Aristidis laudes. Quamquam hae ex parte postea demum provenerunt velut sententia a Plutarcho tradita (v. Aristid. 24): ὡς γὰρ οἱ παλαιοὶ τὸν ἐπὶ Κρόνου βίον, οὕτως οἱ σύμμαχοι τῶν Ἀθηναίων τὸν ἐπ' Ἀριστείδου φόρον εὐποτμίαν τινὰ τῆς Ἑλλάδος ὀνομάζοντες ὕμνουν; statim enim scriptor addit: καὶ μάλιστα μετ' οὐ πολὺν χρόνον διπλασιασθέντος, εἶτ' αὖθις τριπλασιασθέντος. — Similiter a posteris Pisistrati tyrannis ὁ ἐπὶ Κρόνου βίος appellata est: συνέβη γὰρ ὕστερον διαδεξαμένων τῶν υἱέων πολλῷ γενέσθαι τραχυτέραν τὴν ἀρχήν (Aristot. Ἀθην. πολ. 16.7; cf. Ps.-Platon. Hipparch. 229 b).

1) Quo anno Naxii defecerint, non satis constat; cf. Busolt, Griech. Gesch. III² 1, 142.2, Ed. Meyer, Gesch. d. Altert. III, p. 501 et 524.

2) Iam anno fere 460 Athenienses diligenter res publicas et

Vocabulum quidem ἀρχή quo tempore de societate usurpari coeptum sit, exquiri non potest. Ps.-Xenophon in libello illo de Atheniensium re publica iam utitur verbis ἀρχή et ἄρχειν ad societatem significandam, et Thucydides plerumque eam vocat ἀρχήν (ἄρχειν); itaque constat belli Peloponnesiaci initio iam usitatum fuisse imperio Atheniensi hoc vocabulum imponere (cf. etiam Herod. VI 98.2) [1]).

Ex conviciis postea etiam atque etiam urbi factis apparet socios querentes se servitute opprimi ab Atheniensibus (cf. p. 20 sq.) maxime indignatos esse:

1. quod Athenienses annua tributa [2]) a civita-

Eretriae et Colophonis constituerunt (C. J. A. I 9. 10. 13). — Quibus rationibus Atheniensium imperium annis posteris magis magisque amplificatum atque communitum sit, explicare meum non est.

1) In inscriptionibus verba ἀρχή et ἄρχειν de imperio usurpata non inveniuntur, nisi quod in J. G. I Suppl., p. 164, nr. 27 c (= Ditt. Syll. I², nr. 23) legimus: τῶν πόλεων ὧν Ἀθηναῖοι κρατοῦσι, quem titulum recentiorem non esse initiis belli Peloponnesiaci statuit Kirchhoffius. Sed duobus in foederibus a Thucydide relatis exstat verbum ἄρχειν, V 18.7 et 47.1,2, et hoc verbum in ipsa quoque tabula eius foederis, quod V 47 traditur, scriptum fuisse comprobatur huius tabulae reliquiis (cf. Hermae XII, 1877, 368 sq., Scala, Die Staatsverträge des Altertums I, 1898, nr. 87). — Socios Ps.-Xenophon plerumque συμμάχους vocat (I 14, 15, 16, 17, 18, III 2), sed in II 3 dicit: πόλεις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἀρχόμεναι et ἐὰν μὴ ὑπήκοος ᾖ. Thucydides eos, etiam si una voce liberos et subiectos significare vult, ὑπηκόους nominare solet, cum socii in inscriptionibus semper aut σύμμαχοι aut πόλεις vocentur: cf. Christensen, De iure et condicione sociorum Atheniensium (Opusc. philol. ad Madvigium a discipulis missa, 1876), p. 2 sq., A. Fraenkel, De conditione, iure, iurisdictione sociorum Atheniensium, Diss. Lips. 1878, 8 sq., Busolt III² 1, 195³ et 205², Ed. Meyer IV p. 15 sq.

2) Omnino in civitatibus Graecis tributa ex censu non conferebantur nisi ad certam rem (εἰσφορά); Pisistratus autem tyrannus annua stipendia civibus imposuerat (Thuc. VI 54.5, Aristot. Ἀθην. πολ. 16.4). Itaque Athenienses cum quotannis tributa (φόροι) a sociis exigerent, etiam si ad bellum Persis inferendum iis opus non erat,

tibus exigebant (Thuc. I 99, 121.5, Aristoph. Equit. 313, Pac. 621, Vesp. 671, Isocr. περὶ εἰρ. 82/3, Panath. 63, 67, Philipp. 146, Plutarch. Pericl. 12, Aristid. 24);

2. quod saepe se interponebant rebus civilibus urbium atque ipsi earum res publicas constituebant (Ps.-Xenoph. Ἀθην. πολ. I 14—15, Isocr. Paneg. 105—106, Panath. 54, 99, or. XV 318; cf. Aristoph. Equit. 326, Pac. 639 sq.);

3. quod socios in Athenarum iudicia venire cogebant (Ps.-Xen. Ἀθην. πολ. I 16—18, Thuc. I 77.1, Aristoph. Equit. 798, 1089, Isocr. Paneg. 113, Panath. 63 et 66, Hesych. s. v. ἀπὸ συμβόλων δικάζειν);

4. quod multas in civitates mittebant colonias civium Atheniensium (κληρουχίαι; Ps.-Xen. I 15, Isocr. Paneg. 107, περὶ εἰρ. 79 et 92, Plut. Pericl. c. 11).

Praeterea ex libello, quo Athenienses a. 377 Graecos adhortati sunt, ut novae societati faciendae se applicarent, atque ex foederibus ad eam pertinentibus cognoscere possumus, quae potissimum socii sub imperio Atheniensi graviter tulerint. Cum enim socii pristini haec tum minime obliti essent, Athenienses ad eos recuperandos (cf. Isocr. Paneg. 114) diligenter polliciti sunt (J. G. II nr. 17 = Ditt. Syll. I^2, nr. 80.19 sq.): ἐάν τις βούληται . . . Ἀθηναίων σύμμαχος εἶναι καὶ τῶν συμμάχων ἐξεῖναι αὐτῷ ἐλευθέρῳ ὄντι καὶ αὐτονόμῳ (1) πολιτευομένῳ πολιτείαν ἣν ἂν βούληται, (2) μήτε φρουρὰν εἰσδεχομένῳ (3) μήτε ἄρχοντα ὑποδεχομένῳ (4) μήτε φόρον φέροντι et 35 sq.: μὴ ἐξεῖναι μήτε ἰδίᾳ μήτε δημοσίᾳ Ἀθηναίων μηδενὶ ἐγκτήσασθαι ἐν ταῖς τῶν συμμάχων χώραις μήτε οἰκίαν μήτε χωρίον e. q. s. (cf. v. 25 sq., Isocr. 14.44). — Similia legimus in Ditt. Syll. I^2 nr. 73, praeterea in nr. 81: ἔχειν τὴν

---

cum civitate aliqua per vim subacta ad suum arbitrium decernerent, quantae pecuniae huic urbi quotannis essent pendendae, dici poterant his in rebus rationem sequi tyrannidis, praesertim cum paulatim praetermitterent sociis rationem reddere de tributis consumptis.

ἑαυτῶν Χαλκιδέας ἐλευθέρους ὄντας καὶ αὐτονόμους . . . μήτε φρουρὰν ὑποδεχομένους παρ' Ἀθηναίων μήτε φόρον φέροντας μήτε ἄρχοντα παραδεχομένους. Et cum fieri non posset, quin socii ad novae quoque societatis impensas conferrent pecunias, Athenienses nova stipendia appellaverunt non φόρους, sed συντάξεις (Theopomp. frgm. 92, Grenfell-Hunt, Plutarch. Sol. 15), qua ex re apparet, quam odiosa sociis fuerint imperii tributa (φόροι).

Existimet quis socios coepisse omnia haec obicere Atheniensibus eo tempore, quo hi ad rationes illas exsequendas aggressi sunt [1]). Itaque mirum est, quod cleruchiae, quamquam Athenienses in tabula illa a. 377 edita verbose vetantur eas redintegrare, tamen in libris quinti saeculi, qui adhuc exstant, nusquam Atheniensibus crimini dantur [2]) [nisi a Ps.-Xenophonte (I 15), si modo huius loci verba (τὰ χρήματα! cf. I 19) ad cle-

---

1) Quatenus Athenienses omnibus his rationibus excesserint societatis terminos, apparet ex iis, quae Busoltius (Jahrb. f. klass. Philol., Suppl. VIII, 1873—1875, 648 sq.) de verbi αὐτονομίᾳ significatione docuit; cf. Thuc. I 97.1.

2) Hoc me monuit G. Busolt simul demonstrans e contrario in monumentis illis ad alteram societatem pertinentibus Athenienses praetermittere polliceri se socios vocaturos non esse in urbis iudicia, quamquam hoc (ut ex locis supra commemoratis apparet) quinto saeculo saepe Atheniensibus crimini datum esset; Isocrates quoque et in Panegyrico et in Panathenaico breviter commemoravit hoc urbi etiam tum obici (Paneg. 113, Panath. 63 et 66). — Busoltius hanc ad rem affert Graecos iam inde a medio quarto saeculo saepe adhibuisse externos iudices, cum ipsorum iudiciis diffiderent (accuratius ipse hanc rem tractavit in „Griech. Staatskunde“, 1913, p. 486 et 557); quamobrem eos tum fortasse non existimavisse civitates tantopere opprimi, si cives in alterius urbis iudicia venire cogerentur. — Etiam in altera societate interdum ad Atheniensium iudicia appellatum est; cf. G. Gilbert, Handb. d. griech. Staatsaltert. I^{2}, 1893, 500 sq., J. Lipsius, Beiträge zur Geschichte griech. Bundesverfassungen (Ber. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss., phil.-hist. Klasse, 1898), 154 sq.

ruchias referenda sunt]. — Deinde cum Athenienses in tabulis ad alteram societatem pertinentibus soleant promittere se urbibus praesidia (φρουραί) imposituros non esse (Ditt. Syll. I², nr. 73.24, 80.22, 81.24), convicia de Atheniensium praesidiis facta nisi fallor non modo in quinti saeculi libris, sed ne in quarti quidem saeculi usquam inveniuntur, nisi quod Isocrates (περὶ εἰρ. 92 et Areopag. 65) breviter haec praesidia perstringit, ita tamen, ut ea popularibus Atheniensium laudi det. Id quidem constat socios pristinos a. 377 diligenter recusasse, ne Athenienses in urbibus praesidia collocarent. Sed equidem puto eos tum maxime ideo ab alienis praesidiis tantopere abhorruisse, quod Lacedaemonii paulo ante praecipue praesidiis suis, quibus ἁρμοστής praeerat, atrociter urbes dicionis suae fecerant. Itaque quamquam pauca adhuc exstant ex quinti saeculi scriptis atque factionum libellis, tamen putandum est socios de praesidiis Atheniensium non ita vehementer questos esse. Et profecto quoad Athenienses cum Persis vel cum Peloponnesiis belligerabant, socii iis obicere vix poterant, quod praesidia in nonnullis urbibus collocarent. Praeterea multos socios puto existimasse Atheniensium praesidiis praestari, quod hae urbes tutae essent a Persarum vel aliorum hostium iniuriis.

2. Ipsis Athenis iam Themistoclis consiliis audacibus multi cives locupletes restiterunt, cum nollent rem publicam, quae usque ad eam aetatem plane in agrorum possessoribus constiterat, in copiis navalibus poni; metuerunt enim, ne hac re plebis auctoritas valde augeretur. Postquam autem Persis victis societas maritima condita atque hac re urbis potentia auctoritasque admodum amplificata est, primo, quod quidem videamus, omnes factiones, quamquam vehementissime inter se certaverunt, hoc consenserunt societatem maritimam omni ratione esse obtinendam. — At cito rei publicae

condicionibus commutatis effectum est, quod optimates timuerant; Cimon in exilium eiectus est, populi potestas ab Ephialte et Pericle magnopere amplificata est. Et cum paulo post, anno 457, Nicomedes cum Peloponnesiorum exercitu Boeotiam ingressus esset, inter optimates inventi sunt, qui clam cum eo ad paucorum dominationem instituendam consilia communicarent (Thuc. I 107). Quod unum est indicium iam tum paucos quosdam tantopere taeduisse auctae populi potestatis, ut eam infringi mallent quam urbis potentiam libertatemque servari. Nec tamen hanc conspirationem ullum fructum tulisse usquam traditum est, et ad Tanagram optimates fortissime proeliantes omnes suspiciones amoliti sunt (Plut. Cim. 17, Pericl. 10).

Paulo post Athenis diversae factiones, quibus rationibus gubernandum esset imperium, inter se concertaverunt. Nam cum pace triginta annorum composita pauci denuo Thucydide duce enixius Periclis rationibus repugnare coepissent (Plut. Pericl. 11—14), sociorum quoque causas exceperunt. Periclis enim potentiam minuere studentes [1]) obstiterunt cum aliis eius consiliis tum eis, quibus id spectavit, ut praeclara aedificia illa exstruerentur; nam his consiliis popularibus Pericles plebem sibi devinxit [2]). Iis autem optimates id potissimum opponere potuerunt tributa a sociis ad bellum cum Persis gerendum exacta hac ratione consumi, ut urbs exornaretur [3]). Itaque Thucydidis assectatores

---

1) Plut. Pericl. 11: οἱ δ' ἀριστοκρατικοὶ ... βουλόμενοι ... εἶναί τινα τὸν πρὸς αὐτὸν (= τὸν Περικλέα) ἀντιτασσόμενον ἐν τῇ πόλει καὶ τὴν δύναμιν ἀμβλύνοντα ... Θουκυδίδην ... ἀντέστησαν ἐναντιωσόμενον.

2) Cf. quae hac de re Plutarchus tradit (l. c., in fine c. XII).

3) Plut. Pericl. 12: τοῖς εἰσφερομένοις ὑπ' αὐτῆς ἀναγκαίως πρὸς τὸν πόλεμον ἡμᾶς τὴν πόλιν καταχρυσοῦντας.

quamquam videntur nonnihil amicitia optimatium [1]), qui erant inter socios, commoti esse, ut horum causas suas facerent, tamen praecipue suae ipsorum factionis studiis hanc ad rem adducti sunt, neque umquam dimittendum esse imperium contenderunt.

Si Plutarchi verbis fide habita [2]) credimus optimates Pericli obiecisse (c. 12): καὶ δοκεῖ δεινὴν ὕβριν ἡ Ἑλλὰς ὑβρίζεσθαι καὶ τυραννεῖσθαι περιφανῶς, hic nobis primus locus est, quo Athenienses tyrannice imperare dicuntur. Et vero quamquam existimes iam antea interdum socios hoc modo Atheniensium consiliis obtrectasse (cf. p. 3.2) — eos potissimum, qui frustra ab Atheniensibus desciscere conati prorsus libertatem amiserant — tamen ea demum aetate hoc tyrannidis opprobrium divulgatum atque in totum urbis imperium translatum esse puto. Nam postquam Athenienses pace cum Persis composita (448) principalem societatis finem sustulerunt, contendi poterat eos iniuria imperare sociis pergere et iniuria totam illam potestatem (cf. p. 3 sq.) sibi assumere [3]). Praeterea Athenienses cum pecunias sociales tum impenderent in urbem exornandam planissime ostentaverunt se imperium ad suum solum arbitrium

1) Plato tradit (Menon. 94 d): οὐκ ἦσαν αὐτῷ (= τῷ Θουκυδίδῃ) πλεῖστοι φίλοι Ἀθηναίων καὶ τῶν συμμάχων; . . . καὶ ἐδύνατο μέγα ἐν τῇ πόλει καὶ ἐν τοῖς ἄλλοις Ἕλλησιν; cf. etiam Ps. Xenoph. Ἀθην. πολ. I 14.

2) Qui esset principalis horum capitum fons certo nondum est diiudicatum, tametsi eum optimum fuisse apertum est; cf. Busolt III² 1, 237, 439¹, et Meyer IV p. 40.

3) Cf. Thuc. I 96.1: οἱ Ἀθηναῖοι . . . ἔταξαν ἅς τε ἔδει παρέχειν τῶν πόλεων χρήματα πρὸς τὸν βάρβαρον καὶ ἃς ναῦς e. q. s. — Periclis adversarii de aerario Delo Athenas traducto dixerunt (Plut. l. c. 12): ἣ δ' ἔνεστιν αὐτῷ πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας εὐπρεπεστάτη τῶν προφάσεων δείσαντα τοὺς βαρβάρους ἐκεῖθεν ἀνελέσθαι καὶ φυλάττειν ἐν ὀχυρῷ τὰ κοινά, ταύτην ἀνῄρηκε Περικλῆς.

administrare velle ratione non reddita[1]). Denique dubium non erat, quin plurimi socii inviti imperio Atheniensi tenerentur. — Tyrannidem autem Graeci tum vocabant[2]) unius viri in rem publicam imperium, quod et iniuria usurpatum erat neque ullis legibus nisi ipsius domini arbitrio coercebatur, quo fiebat, ut tyrannus civibus invitis imperaret. Cum igitur hac aetate omnes facile adduci potuerint, ut ad imperium Atheniense transferrent nomen tyrannidis, mirum non est praecipue optimates Atheniensium vehementissime Periclis rationes impugnantes hoc convicium vulgasse; rectissime enim Zeller dicit (l. c. p. 1140): „Die Übertragung des Ausdrucks auf politische Gegner lag dem Griechen um so näher, da es keine wirkungsvollere Wendung gab, um ihr Verfahren in seiner ganzen Gehässigkeit zu kennzeichnen, als die Gleichstellung mit denen, welche jede Republik als die hassenswertesten Verbrecher verabscheute, den Tyrannen". — Imperium autem, cui Graeci tum nomen tyrannidis dabant, improbe iniusteque administrari opus non erat (Zeller, l. c., p. 1138); Plato demum hanc vim verbo imposuit (Zeller, l. c., p. 1142). Itaque ne Pericles quidem opprobrium tyrannidis refutat, sed sicut apud Thucydidem imperium iam esse tyrannida concedit, hoc Plutarchi loco (c. XII) demonstrat Athenienses, quia pro sociis bella gerant eosque a barbaris defendant, ius habere tyrannice imperandi: ὅτι χρημάτων μὲν οὐκ ὀφείλουσι τοῖς συμμάχοις λόγον. Sed Athenienses prave insolenterque imperium administrare negat: δεῖ δὲ τῆς πόλεως κατεσκευασμένης ἱκανῶς τοῖς ἀναγκαίοις πρὸς τὸν πόλεμον, εἰς ταῦτα τὴν εὐπορίαν τρέπειν αὐτῆς, ἀφ' ὧν δόξα μὲν γενομένων ἀΐδιος e. q. s.

1) c. 12: ἐδίδασκεν οὖν ὁ Περικλῆς τὸν δῆμον, ὅτι χρημάτων μὲν οὐκ ὀφείλουσι τοῖς συμμάχοις λόγον.

2) Cf. Ed. Zeller, Über den Begriff der Tyrannis bei den Griechen, S. A. B. 1887, 1137 sq.

Etiam huius aetatis comici omnino Periclis de imperio Atheniensi rationes exagitasse videntur; Plutarchus enim tradit hoc incerti poetae, fortasse Teleclidis, fragmentum (v. Pericl. 7 = Kock, frgm. incert. poet. 41): τὸν δῆμον οἱ κωμῳδοποιοὶ λέγουσι πειθαρχεῖν οὐκέτι τολμᾶν ἀλλὰ δάκνειν τὴν Εὔβοιαν (a. 446) καὶ ταῖς νήσοις ἐπιπηδᾶν. Cratinus vero Thraëssis, Chironibus, Dionysalexandro comoediis acerbe in Periclem invectus est, non aliter atque Teleclides (frgm. 42, 44, Kock), etiam eius aedificia irrisit (frgm. 71, 300), cum in Archilochis quae inscripta est comoedia summis laudibus efferret Cimonem (frgm. 1), quem cum alia permulta ad principatum urbis confirmandum contulisse tum Thasum insulam cum defecisset sub Atheniensium imperium redegisse omnibus notum erat.

3. Pericle duce urbs summum potentiae fastigium attigit, summam magnificentiam ostendit, et admiratione Athenarum incensus est Herodotus, qui hac aetate historias suas scripsit. Identidem panegyrici coloribus gloriam urbis depingit (VII 139, VIII 142.3, IX. 27.2 sq.) ac quibusdam extremorum librorum locis plane apparet studium demonstrandi Athenienses, cum Graeciam, suorum commodorum immemores, virtute sua vindicavissent a Persarum servitute, sibi parasse ius potestatemque principatus Graeciae obtinendi[1]). — Sed etsi brevi digressione (VIII 3.2) narrat Graecos foederatos ultro Atheniensibus summam imperii maritimi mandasse, etsi verisimillimum esse puto eum in animo habuisse a so-

---

1) VII 139, VIII 2—3, IX 27.2 sq., 106.2-4; cf. N. Wecklein, Die Tradition der Perserkriege, Ber. Baier. Akad. 1876, p. 270 sq., Ad. Bauer, Die Entstehung des herodoteischen Geschichtswerkes, 1878, p. 148 sq., Ed. Meyer, Forschungen zur alten Geschichte II, 1899, p. 201 sq.

cietate maritima condita opus suum finire [1]), tamen nullo alio loco librorum, qua quidem forma memoriae proditi sunt, hanc societatem nedum Atheniensium in socios imperium (ἀρχή) [2]) commemorat.

Consilio eum, ne commemoraret imperium Atheniense, vitavisse quamquam plane demonstrari non potest, tamen verisimile esse puto: veritus est Herodotus, ne Atheniensium in alios Graecos dominatio ab integra quam finxerat Athenarum imagine dissentiret. Nam quo tandem modo liberalitas abstinentiaque, qua usos Athenienses omnium Graecorum custodisse atque servasse libertatem saepe laudat [3]), contexi poterat cum Atheniensium in eosdem Graecos imperio, quam iam tyrannidem esse nemo ignorabat ipseque Pericles fatebatur (Thuc. II 63.2) [4])?

Neque enim dubitari potest, quin Herodotus, cuius patria ad societatem se applicaverat, qui Thasum

---

1) Cf. de Wilamowitz, Aristoteles u. Athen I, 1893, p. 26 sq., Lipsius, Leipz. Stud. 20, 1902, 195 sq.

2) Nisi quod VI 98.2 dicit: ἐγένετο πλέω κακὰ τῇ Ἑλλάδι . . . τὰ μὲν ἀπὸ τῶν Περσέων αὐτῇ γενόμενα, τὰ δὲ ἀπ' αὐτῶν τῶν κορυφαίων περὶ τῆς ἀρχῆς πολεμεόντων.

3) VIII 142.3 dicunt Lacedaemoniorum legati: ἄλλως τε τούτων ἁπάντων αἰτίους γενέσθαι δουλοσύνης τοῖσι Ἕλλησι Ἀθηναίους οὐδαμῶς ἀνασχετόν, οἵτινες αἰεὶ καὶ τὸ πάλαι φαίνεσθε πολλοὺς ἐλευθερώσαντες ἀνθρώπων. Athenienses respondent c. 144.1: οὔτε χρυσός ἐστι γῆς οὐδαμόθι τοσοῦτος οὔτε χώρη κάλλεϊ καὶ ἀρετῇ μέγα ὑπερφέρουσα, τὰ ἡμεῖς δεξάμενοι ἐθέλοιμεν ἂν μηδίσαντες καταδουλῶσαι τὴν Ἑλλάδα; cf. praeterea VII 139, VIII 3, IX 27.2 sq. — Eodem autem tempore optimates, socii, urbis hostes etiam atque etiam non sine causa contendebant ab Atheniensibus Graecos servitute oppressos teneri, socios esse servos Atheniensium! Cf. p. 20 sq.

4) Atheniensium in socios dominationem non convenire cum illorum praedicationibus, quibus gloriabantur se bellis Persarum totius Graeciae libertatem omnibus suis rebus antetulisse, Thucydides Hermocratem facit demonstrantem (VI. 76.4; cf. etiam I. 86.1).

(VI 47), Delum (VI 98), Parum (VI 134) obierat, aliquamdiu Sami fuerat, saepe audierit, quam graviter permulti ex sociis urbem obiurgarent dictitantes se ab ea servorum loco haberi, quin ipse intellexerit, quanto odio imperium iis esset. Praeterea priusquam describit, quam bene Athenienses bellis Persarum de tota Graecia meriti sint, ipse dicit (VII 139. 1): ἐνθαῦτα ἀναγκαίῃ ἐξέργομαι γνώμην ἀποδέξασθαι ἐπίφθονον μὲν πρὸς τῶν πλεόνων ἀνθρώπων, ὅμως δὲ τῇ γέ μοι φαίνεται ἀληθὲς οὐκ ἐπισχήσω [1]). — Reicit ille quidem eos, qui has Atheniensium cum Persis decertantium res gestas detrectare conabantur, persuasum ei est Athenienses, cum Persas reppulerint, optimo iure principatum tenere, sine dubio credit socios ex eo magna commoda percipere, barbaros coerceri non posse nisi civitates Graecae foedere coniunctae sint. Sed num omnia de urbis dominatione quae tum erat crimina iniusta esse existimaverit, quid omnino de imperii administratione [2]), de sociorum condicione iudicaverit, decernere non possumus.

---

1) Cf. etiam Ad. Bauer, Themistocles, 1881, p. 18[1]. — Ceteros Graecos has Atheniensium laudes gravari Thucydides quoque Athenienses facit pronuntiantes (I 73. 2).

2) Hoc liceat commemorare: Herodotus cum alia in Themistoclem crimina tum id accepit, ex quo Themistocles arguebatur avaritia commotus ex Andro, Paro, aliis insulis, quae postea sub imperio Atheniensium fuerunt, pecunias redigere conatus esse (VIII 111—112). Reddit enim Herodotus narrationem a sociis formatam, qui crimen, quod postea imperio instituto Atheniensium magistratibus obiciebant, in Themistoclem transtulerant (cf. Bauer, Themistocles, p. 23 sq., 28); nam quamquam Andrus navibus omnium Graecorum foederatorum obsessa erat, Herodotus solum Themistoclem accusat (c. 111. 2 et 112. 1; cf. Kirchhoff, Hermes XI, 1876, p. 44) atque eum minatum esse dicit: ὡς ἥκοιεν Ἀθηναῖοι περὶ ἑωυτοὺς ἔχοντες δύο θεοὺς μεγάλους, Πειθώ τε καὶ Ἀναγκαίην e. q. s. (c. 111. 2). Ita autem rem narrans Herodotus, ut ita dicam, simul affert opprobrium illud in Athenienses imperantes factum.

Caput II. Quae iudicia belli Peloponnesiaci temporibus de imperio facta sint.

Ut ad liquidum explorari non potest, quibus rationibus quibusque temporibus Atheniensium in socios imperium magis magisque communitum sit, quoad Periclis aetate dominatio illa efficeretur, ita etiam quid usque ad eam aetatem de imperio iudicatum sit obscuritate satis multa est involutum. Multo clarius cognoscimus, quam ardenter belli Peloponnesiaci temporibus et in domesticis et in externis Atheniensium certaminibus, quid existimandum esset de imperio, disceptatum sit, quantopere iudicia de eo facta partium studiis inflexa sint.

1. Qua aetate quo animo optimates severi in imperium fuerint, Ps.-Xenophontis de re publica Atheniensium libello docemur, quem priore belli tempestate, ante autumnum anni 424 compositum esse constat[1]). — Libri auctor ipse in numero optimatium Atheniensium fuit; ut statim in initio pronuntiavit (I. 1), propositum habuit demonstrare Athenienses optime populi potestatem conservare, atque hoc unum, suam igitur utilitatem[2]), spectantes omnes res, in quibus ceteris Graecis peccare viderentur, optime persequi; praeterea quae essent fundamenta Atheniensium potentiae sagacissime quaesivit.

De maris imperio primum quidem profert Atheniensibus plerumque vitio dari:

1) quod in civitatibus subiectis cives divites probosque ignominia afficiant, despolient, expellant, necent, improbos augeant (I 14—15),

---

1) Cf. E. Kalinka, Die pseudoxenophontische Ἀθηναίων πολιτεία, 1913, 5 sq.

2) Accuratius hoc tractavi p. 34 sq.

2) quod socios in iudicia Atheniensium venire cogant (I 16—18),

3) quod bello civili in urbe quadam exorto a civibus deterioribus stent (III 10—11)[1]).

Deinde explicat populares Atheniensium ita imperium administrantes optime commoda sua reputare. Consentaneum enim necessariumque esse dicit Athenienses sociis in odio esse sicut omnes, qui imperent, iis in odio sint, quibus imperent (I 14, 16: ἅτε ἀχθόμενοι Ἀθηναίοις; cf. Thuc. I 76. 1, II 64. 5, III 40. 3, VIII 48. 5)[2]).

---

1) III 10: δοκοῦσι δὲ Ἀθηναῖοι καὶ τοῦτο (μοι) οὐκ ὀρθῶς βουλεύεσθαι. Sequi non possum argumentationem, qua usus E. Kalinka (Prolegomena zur pseudoxenophontischen Ἀθηναίων πολιτεία, Wiener Studien XVIII, 1896, 34, Die ps.-xenophont. Ἀθηναίων πολιτεία, 1913, 301 sq.) interpolationem μοι defendere studet.

2) I. 14: περὶ δὲ τῶν συμμάχων ὅτι ἐκπλέοντες συκοφαντοῦσιν ὡς δοκοῦσι καὶ μισοῦσι τοὺς χρηστούς, γιγνώσκοντες ὅτι μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου, εἰ δὲ ἰσχύσουσιν οἱ πλούσιοι καὶ οἱ χρηστοὶ ἐν ταῖς πόλεσιν, ὀλίγιστον χρόνον ἡ ἀρχὴ ἔσται τοῦ δήμου τοῦ Ἀθήνησι e. q. s. — Dubium esse non potest, quin verbum ἐκπλέοντες offensionem afferat; absurdum enim est atque falsum in universum dicere Athenienses evehentes socios criminari atque odisse. Ne emendatio quidem <οἱ> ἐκπλέοντες recta est; neque enim solum οἱ ἐκπλέοντες συκοφαντοῦσιν καὶ μισοῦσι τοὺς χρηστούς, neque ei soli cognoscunt: ὅτι μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου, sed omnino οἱ Ἀθηναῖοι (vel ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων); hoc igitur subiectum esse necesse est. Ergo verbum ἐκπλέοντες corruptum est. Omnia planiora essent, si id prorsus deesset; desideramus autem eam dumtaxat sententiam, quam Müller-Strübing et F. Rühl post τοὺς χρηστούς addiderunt: γνώμῃ καὶ τοῦτο ποιοῦσι (cf. III 10). Itaque sumens ex verbis hoc significantibus ortum esse ἐκπλέοντες opinor scribendum esse ἐκ προνοίας. — Falsa est huius loci interpretatio, quam exhibet Kalinka (Wien. Stud. XVIII, 78 sq., D. ps.-xenophont. Ἀθην. πολιτεία, 147 sq.), his de causis: Kalinka pro ἐκπλέοντες scribens οἱ πλέονες (= populares sociorum) sumit ad participium γιγνώσκοντες novum subiectum, οἱ Ἀθηναῖοι, cogitatione supplendum esse; quod nulla ratione comprobari potest. Monet Kalinka (D. ps.-xenoph. Ἀθ. π., p. 148. 2) saepe apud Ps.-Xenophontem verba οἱ Ἀθηναῖοι,

Athenienses autem hoc intellegentes opprimere bonos urbium cives; neque enim populares Atheniensium ignorare brevissime imperium suum mansurum esse viris divitibus atque probis rerum potitis in urbibus, quae necessario Athenis sint inimicae[1]. — Quod hac re efficiatur, ut urbes tributa pendere minus valeant, Athenienses id spectare contendit, ut socii tam malis condi-

---

etiam si novum subiectum sint, deesse atque supplenda esse (velut II 7, 11, 14), neque tamen ullum exemplum profert, quo probetur novum subiectum omitti posse, si intra eandem sententiam subiectum commutatur. — Deinde Kalinka opinatur verbis: μισεῖσθαι μὲν ἀνάγκη τὸν ἄρχοντα ὑπὸ τοῦ ἀρχομένου significari: „der Gegensatz der beiden Parteien in den einzelnen Städten, von denen die eine am Ruder ist, nicht der Gegensatz der herrschenden Reichshauptstadt zu den untertänigen Bundesstädten“ (cf. II 3: πόλεις ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἀρχόμεναι); itaque verba ὁ ἀρχόμενος refert ad populares sociorum: „woraus sich unmittelbar ergibt, daß damals in der Mehrzahl der Bundesstädte oligarchische Regierungen bestanden“. — Inter omnes constat e contrario tum in plerisque ex his civitatibus populares fuisse dominos (ipse Kalinka affert Gilbert I², 480, Ed. Meyer, III 610, IV 16, de Wilamowitz, Kult. d. Gegenw. II 4, 132; cf. praeterea Busolt III1², 225³), neque Kalinka aliter res se habere demonstrare potest interpretatione huius loci, quae pendet ex dubia eius emendatione (οἱ πλέονες). — Denique Kalinka futurum: εἰ δὲ ἰσχύσουσιν οἱ πλούσιοι et q. s. vertit: in dem Falle, daß die Reichen und überhaupt die Edlen in den Bundesstädten die Gewalt behalten. Neque vero ἰσχύειν idem est atque διασῴζειν τὴν δύναμιν. Haud scio an Kalinkae huius futuri explicatio (p. 151 sq.) recta non sit; potius ex hoc ipso futuro sequitur tum divites probosque non fuisse urbium dominos.

1) Existimat igitur auctor Athenienses iisdem consiliis adduci, ut probos urbium cives opprimant, quibus Graeci semper putaverunt tyrannos commoveri, ut optimos cives odissent (cf. Herod. III 80: φθονέει γὰρ τοῖσι ἀρίστοισι . . ., χαίρει δὲ τοῖσι κακίστοισι τῶν ἀστῶν, V 92 ζ. 2 sq., Eurip. Suppl. 444 sq., Ion. 626 sq.: τύραννος . . ᾧ τοὺς πονηροὺς ἡδονὴ φίλους ἔχειν, ἐσθλοὺς δὲ μισεῖ, Aristot. Polit. III 13, p. 1284 a 26 sq., V 10, p. 1311 a 15 sq.).

cionibus utantur, ut nullo modo seditionem facere possint[1]; quam ad rem perficiendam eos etiam cleruchias instituere dicit (I 14—15).

Athenienses nimirum tantopere potentiam suam augere studuerunt, ut socii se nulla ratione iugum imperii excutere posse intellegerent. Sed solus[2]) Ps.-Xenophon affirmat eos hanc ad rem urbes per vim oppressas tenere et consulto pauperes reddere.

Tum scriptor demonstrat popularibus Athenis de sociis iudicia facere emolumento esse et aliis ex causis et quia hac re in ipsa urbe civitates administrare, in iudiciis populares urbium adiuvare, optimates exitio tradere possint (I 16; cf. I 13). — Denique commemorat (III 10—11) Atheniensium populares, si in urbe quadam discordia civilis conflata sit, solere partibus deteriorum favere (τοὺς χείρους αἱροῦνται) considerantes hos sibi esse benevolos: τὸ κάκιστον ἐν ἑκάστῃ ἐστὶ πόλει εὔνουν τῷ δήμῳ (ergo etiam τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων: οἱ γὰρ ὅμοιοι τοῖς ὁμοίοις εὔνοοί εἰσι). Plane igitur significat Atheniensium populares hac

1) Postea Plato et Aristoteles hoc esse tyrannidis proprium docuerunt; Plato enim de tyranni rationibus dicit (Rei publ. VIII, 567 a) οὐκοῦν καὶ ἵνα χρήματα εἰσφέροντες πένητες γιγνόμενοι πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ἀναγκάζωνται εἶναι καὶ ἧττον αὐτῷ ἐπιβουλεύωσιν; et similiter Aristoteles explicat (Polit. V 11, p. 1313 b 18 sq.): καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους τυραννικόν, ὅπως μήτε φυλακὴ τρέφηται καὶ πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν. (Cf. praeterea p. 1314 a 15 sq. et Herodot. III. 80.) — Quibus cum verbis comparanda sunt, quae Ps.-Xenophon hoc loco contendit (I 15): τοῖς δὲ δημοτικοῖς δοκεῖ μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι τὰ τῶν συμμάχων χρήματα ἕνα ἕκαστον Ἀθηναίων ἔχειν, ἐκείνους δὲ ὅσον ζῆν καὶ ἐργάζεσθαι ἀδυνάτους ὄντας ἐπιβουλεύειν.

2) At Isocrates eiusmodi convicium impugnare videtur dicens (IV 104): οὐ γὰρ ἐφθονοῦμεν ταῖς αὐξανομέναις αὐτῶν (sc. τῶν πόλεων) e. q. s.; quamquam haec verba imprimis ad Lacedaemonios spectant.

quoque in re bene reputare emolumenta sua (οἱ δὲ τοῦτο γνώμῃ ποιοῦσιν), quod confirmat exemplis, quae III 11 affert: ὁποσάκις δ' ἐπεχείρησαν αἱρεῖσθαι τοὺς βελτίους οὐ συνήνεγκεν αὐτοῖς.

Sibi igitur persuasit Athenienses crudeliter imperantes ad suam tantum utilitatem omnia referre, consulto sociis damna inferre; et Atheniensium de sociis iudicia describens addit: (I 18): διὰ τοῦτο οὖν οἱ σύμμαχοι δοῦλοι τοῦ δήμου τῶν Ἀθηναίων καθεστᾶσι μᾶλλον.

Maris autem imperium ipsum fundamentum esse populi potentiae tantopere auctae clare intellegit scriptor (I 2—9); primus nobis hoc enuntiat, quae semper gravissima causa fuit optimatibus, cur imperium eis odio esset[1]. Scriptori autem, cum vehementissime populi potestatem in imperio maritimo positam oderit atque putet res meliores fieri non posse nisi ea omnino evertatur (III 8—9; cf. II 20), concludendum est eius fundamentum, imperium maris, esse tollendum; nam ex eo necessario effici existimat, ut urbs prorsus a populo teneatur (I 2). — Ipse quidem hanc extremam conclusionem aperte non enuntiat, cum perspiciat, quam difficile sit ad perficiendum, quod desideret (III 12); sed haud ambigue ad conspirationem cum Lacedaemoniis faciendam spectat (II 14—15) neque est quod dubitemus, quin sibi conscius fuerit Lacedaemoniis per vim intercedentibus potentiam libertatemque urbis conservari non posse.

Quod consilium imperii remittendi iam tum Athenis non erat inauditum; cum enim Attica primis belli Peloponnesiaci annis ab hostibus vastaretur, pestilentia in urbe saeviret, haec sententia, si modo Thucydidem sequimur, magis magisque provenit. Nam apud eum Pericles in ultima oratione, qua se ipsum defendere

1) Locos contuli in indic. rer.

et civium animos erigere vult, hoc consilium impugnat (II 63.2).

Gubernare autem quicumque volebant Atheniensium rem publicam, quamvis acriter paucorum dediti essent factioni, animum inducere vix poterant eiusmodi consilia ad effectum perducere. Quin potius multi ex his viris etiam consilia ad populi potestatem evertendam spectantia bello nondum finito omnino abnuebant[1]. Et cum 412/11 optimates Athenis rerum potirentur, imperio maris, quam Ps.-Xenophon stirpem populi potentiae auctae esse docuerat, non modo non destiterunt, sed etiam conati sunt eius administrationem ita commutare, ut id sibi subsidio esset; studuerunt enim Phrynicho quidem obloquente socios ea re, quod apud eos quoque paucorum dominationes constituebant, in suas partes ducere, qua quidem a spe destituti sunt (Thuc. VIII 64, 65.1, 48.5). — At tamen cum certamine inter optimates exorto moderati resistere coepissent consiliis severorum horumque potentia iam nutaret, hi non recusaverunt, quin imperium dimitterent. Alteris enim legatis ad Lacedaemonios missis mandaverunt (Thuc. VIII 90.2): παντὶ τρόπῳ ὅστις καὶ ὁπωσοῦν ἀνεκτὸς ξυναλλαγῆναι πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους[2]) nec dubitaverunt Lace-

1) Cf. Thuc. VI 89.6, VIII 48.4. Obliviscendum non est Athenis cives locupletes, quamquam res publica admodum a popularibus tenebatur, semper magnam habuisse auctoritatem; summa enim munera iis mandabantur, ei soli duces (στρατηγοί) deligebantur, cum his magistratibus merces non solveretur. Cf. Ps.-Xenoph. Ἀθην. πολ. I 3 et ea, quae hac de re docuit J. Sundwall, Epigraphische Beiträge zur sozial-polit. Geschichte Athens im Zeitalter des Demosthenes, Klio, viertes Beiheft, 1906.

2) Quod Aristoteles (Ἀθην. πολ. 32.3) refert: οὐχ ὑπακουόντων δ' ἐκείνων (sc. τῶν Λακεδαιμονίων), εἰ μὴ καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης ἀφήσουσιν, οὕτως ἀπέστησαν, haec verba vera tradere non possunt et fortasse ad priorem legationem a paucis ad Agim regem missam referenda sunt; cf. de Wilamowitz, l. c. p. 101, Busolt, III 2, p. 1491[1].

daemoniis urbem prodere, ut suam servarent dominationem[1]).

Multis in rebus optimatium severorum de imperio iudicia hac aetate discrepabant cum moderatorum[2]); ex Aristophanis autem comoediis imprimis colligere possumus, quid hi tum de eo existimaverint[3]).

---

1) Thuc. VIII. 90.3; 91.3: ἐκεῖνοι γὰρ μάλιστα μὲν ἐβούλοντο ὀλιγαρχούμενοι ἄρχειν καὶ τῶν ξυμμάχων, εἰ δὲ μή, τάς γε ναῦς καὶ τὰ τείχη ἔχοντες αὐτονομεῖσθαι, ἐξειργόμενοι δὲ καὶ τούτου μὴ οὖν ὑπὸ δήμου γε αὖθις γενομένου αὐτοὶ πρὸ τῶν ἄλλων μάλιστα διαφθαρῆναι, ἀλλὰ καὶ τοὺς πολεμίους ἐσαγαγόντες ἄνευ τειχῶν καὶ νεῶν ξυμβῆναι καὶ ὁπωσοῦν τὰ τῆς πόλεως ἔχειν . . . .

2) Apertum est optimates non plane in has duas partes discessisse; sed uberius exquirere non possumus nisi quid hae duae partes extremae de imperio iudicaverint, cum harum solum sententias et ex Ps.-Xenophonte et ex Aristophane accuratius cognoscamus.

3) W. Süß (Aristophanes u. die Nachwelt, 1911, p. 195) non dubitat contendere: „Aristophanes hat nicht die allermindeste außerhalb seiner komischen Welt- u. Menschenbetrachtung liegende Absicht“ atque etiam fortiter omnes impugnat, qui existiment factionis cuiusdam sententias in Aristophanis comoediis percipi posse (cf. imprimis p. 144, 194/197, 209). Quam Suessii sententiam minime esse rectam cum Pohlenzio iudico. — Primum quidem dubium esse non potest, quin poeta semper id potissimum spectaverit, ut arte sua risum moveret: hic est principalis comoediarum eius finis, neque tamen solus finis est. Nam Aristophanem ut plurimos antiquae comoediae poetas „simul et iucunda et idonea dicere vitae“ voluisse (Ran. 391 sq.: καὶ πολλὰ μὲν γέλοιά μ' εἰπεῖν, πολλὰ δὲ σπουδαῖα), vel ex illa fabulae parte intellegitur, quam παράβασιν vocant; equidem nescio, quo tandem modo Suessii opinione accepta explanari possint loci cum alii tum hi: Acharn. 500, 649 sq., 655 sq., Vesp. 1037, Pac. 738 sq., Ran. 686 sq.: τὸν ἱερὸν χορὸν δίκαιόν ἐστι χρηστὰ τῇ πόλει ξυμπαραινεῖν καὶ διδάσκειν; cf. praeterea 1008 sq., 1030 sq., 1054 sq., 1420 sq., Vesp. 650 sq. — Spectatores vero ipsa comoediarum praecepta plurimi aestimasse optime apparet e prima Ranarum hypothesi, qua traditum est: οὕτω δὲ ἐθαυμάσθη τὸ δρᾶμα διὰ τὴν ἐν αὐτῷ παράβασιν ὥστε καὶ ἀνεδιδάχθη, ὥς φησι Δικαίαρχος; hac autem ipsa in parabasi poeta planissime certas de rebus civilibus rationes suasit. Deinde Athenienses tantopere indignati vix essent

Verisimillimum est iam ante belli Peloponnesiaci initia convicium illud provenisse, ex quo contendebatur socios esse servos (δοῦλοι) Atheniensium. Apud Plutarchum quidem Thucydides Periclem impugnans (v. Pericl. 11—14) nondum eo utitur, et cum fons, ad quem haec Plutarchi narratio referenda est, optimus sit, nescio an concludi possit tum hoc opprobrium nondum provenisse. Sed Thucydides, rerum scriptor, Corinthios statim in priore oratione, qua Lacedaemonios ad bellum suscipiendum inflammare student, id proferentes facit (I 68.3, 69.1), neque est quod dubitemus, quin ipsum convicium tum pervulgatum fuerit, quamquam Thucydides illam orationem postea demum composuit. Bello enim Peloponnesiaco exorto Lacedaemonii ceterique Atheniensium hostes omni ratione hanc sententiam differre studuerunt (cf. indic. rer.), et Ps.-Xenophontem quoque semel socios esse δούλους affirmare supra commemoravimus (p. 17). — Quod maledic-

---

Babylonios (cf. Acharn. 630 sq.), si existimassent comoediam semper solum propositum habere risum excitandi. — Id quidem apertum est Aristophanem non omnia factionis cuiusdam consilia sua fecisse; sed ipso amore vitae rusticae, desiderio pacis, illa cum equitibus amicitia coniunctus erat cum optimatibus moderatis, qui quamquam ipsam populi potestatem tollere minime studebant, tamen popularium ducibus inimici atque ab horum consiliis aversi erant. Equites cunctati non sunt in fabula illa ipsi in scenam prodire, et Aristophanes eos dicentes facit (Equit. 509 sq.): νῦν δ' ἄξιός ἐσθ' ὁ ποιητής, ὅτι τοὺς αὐτοὺς ἡμῖν μισεῖ e. q. s. Cum praeterea sententiae, quas poeta in comoediis suis de rebus publicis profert, universe inter se concinant, intellegere non possum, cur opinandum sit poetam, qui fuit aetate qua et externis et domesticis certaminibus urbs concussa est, nihil curasse res publicas patriae, ipsum quamvis acerbe illudentem Cleoni aliisque nihil sensisse, nihil spectasse nisi ut risum evocaret. Sane non commotus est Aristophanes ad comoedias scribendas ea re, quod partis consilia quaedam adiuvare studuit; sed cum in fabulis res publicas attingeret, de iis plerumque iudicavit e voluntate amicorum optimatium.

tum Aristophanes recepit atque Babyloniis fabula, quae Dionysiis 426 multis sociis spectantibus acta est, manifesto sociorum condiciones oculis subiecit. Chorus enim constabat ex sociis, qui personas servorum pistrini induerant[1]). Ceterum nihil fere certi cognoscere possumus de huius fabulae argumento; poetam autem acerbissime Atheniensium in socios dominationem irrisisse etiam inde apparet, quod comoedia cecidit et Callistratus didascalus a Cleone in ius vocatus est[2]).

Acerbum de sociorum condicione iudicium Aristophanes postea ita non mutavit, ut etiam id, quod iam Thucydides, Periclis adversarius, dixerat populares tyrannice Graeciae imperare, ipse significaret verbis quae in Equitibus chorus profert (v. 1111 sq.): ὦ Δῆμε καλήν γ' ἔχεις ἀρχήν, ὅτε πάντες ἄνθρωποι δεδίασί σ' ὥσπερ ἄνδρα τύραννον. Sed Babyloniorum tristi eventu nonnihil eum commotum esse puto, ne umquam posthac aut tota fabula aut tota scena imperii administrationem proponeret[3]) neve postea has res attingens in Atheniensium omnino regimen inveheretur soleret, sed in civitatis gubernatores solum rhetoresque, sicut caute Acharn. 515 sq. dicit: ἡμῶν γὰρ ἄνδρες, κοὐχὶ τὴν πόλιν λέγω, μέμνησθε τοῦθ' ὅτι οὐχὶ τὴν πόλιν λέγω.

Ac primum quidem popularium duces exagitat, quia pecuniae avidissimi omni modo civitates subiectas exhaurire conentur (Equit. 801, 834, 930 sq., 996, 1034,

---

1) Hesych. s. v. Σαμίων ὁ δῆμος: φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει τοὺς ἐκ τοῦ μύλωνος ἰδὼν Βαβυλωνίους· Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν ὡς πολυγράμματος. Cf. Schrader, Philol. 42, 1884, p. 577 sq., Gunning, De Babyloniis Aristophanis fabula, Diss. Amstelod. 1882, p. 7 sq.

2) Acharn. 377/82, 502 sq., 630 sq., schol. Acharn. 378. Cf. Gunning, l. c. p. 71 sq., Zacher, Philol. 49 (1890), p. 329 sq. — A. Wilhelm, Urkunden dramat. Aufführungen in Athen, 1906, p. 111 sq. G. Jachmann, De Aristotelis didascaliis, Diss. Gott. 1909, p. 11 sq.

3) Nisi forte fabula quae Νῆσοι inscribitur; e fragmentis quidem servatis nihil hac de re apparet.

Vesp. 904, Vesp. 665 sq., Av. 1025 sq.; tributa (φόροι) commemorat Equit. 313, Vesp. 671; cf. Pac. 621), imprimis socios nobiles divitesque vexent (Equit. 326, Pac. 639 sq.: τῶν δὲ συμμάχων ἔσειον τοὺς παχεῖς καὶ πλουσίους, αἰτίας ἂν προστιθέντες ὡς φρονεῖ τὰ Βρασίδου.). — Idem etiam Ps.-Xenophon incusavit, sed cum hic sagaciter huius rationis causas explorare studeret, Aristophanes accipiens, quae viris illis ab inimicis exprobrari solebant, finxit eos sola avaritia commoveri, ut ita socios tractarent; simulat enim gubernatores Athenarum hoc summum munus suum esse existimare ex sociis quacumque ratione pecunias exprimere (Equit. 176, 838 sq.). Bdelycleon vero patri explanat cives Athenienses, quamquam urbes crudeliter vexentur (cf. etiam Equit. 1408, Pac. 644, Nub. 211 sq.), tamen nullos fructus ex imperio percipere; solos duces illos rhetoresque lucrum auferre (Vesp. 666 sq., 700 sq.); et similiter Demosthenes contendit Cleonem Populo nihil dare nisi κοσκυλμάτια ἄκρα (Equit. 48 sq.). — Socios constat vehementer indignatos esse, quod cogebantur in Atheniensium venire iudicia (cf. p. 4). Itaque et Aristophanes non solum Atheniensium cupidinem iudicandi (cf. praeter Vespas: Babyl. frgm. 70, Kock, Equit. 255, 969, 1316 sq., 1332, Nub. 207 sq., 1220, Pac. 505, Av. 40 sq., 108 sq., Ran. 1466), sed etiam eorum in civitates subiectas iudicia irridet (Equit. 798, 1089); ille vero κλητὴρ νησιωτικὸς καὶ συκοφάντης, qui in Avibus (v. 1410 sq.) inducitur, fungitur munere socios accusandi atque Athenas in ius ducendi, cum poeta Pac. 170 sq. libidinem illudat, qua Athenienses in sociis condemnandis utantur. Ubique autem ostentat imperium importune avideque administrari, sociorum condiciones pessimas esse.

Demonstrans autem imperium depravatum esse et sociorum querimonias suas faciens (cf. Acharn. 642 sq.,

Pac. 759 sq.: ὑπὲρ ὑμῶν πολεμίζων ἀντεῖχον ἀεὶ καὶ τῶν ἄλλων νήσων) Aristophanes similes rationes secutus est atque antea Thucydides eiusque assectatores adhibuerant, tum Eupolis quoque in comoedia Πόλεις quae inscribitur adhibuit[1]; sed etiam Ps.-Xenophon, Antiphon, qui pro Lindiis et Samothracibus tributa a Cleone aucta deprecantibus orationes composuit (frgm. 25—33, 49—56, Blaß), quintam orationem pro cive Lesbio scripsit[2]), similes secuti sunt rationes. Omnes igitur optimates, et severi et moderati, hac in re tum consentiebant.

Quas ad rationes sine dubio non aliter atque antea Thucydidis sectatores maxime suae factionis causis commoti sunt. Sodalitate enim cum omnibus aliarum urbium optimatibus coniuncti id spectabant, ut a sociis sibi benevolis adiuvarentur in consiliis suis exsequendis. Deinde Athenis optimates et severi et moderati omnino ducum popularium de rebus publicis rationes impugnabant prorsus abnuentes consilia ad fines imperii propagandos pertinentia (cf. Aristoph. Equit. 797 sq., 965 sq., 1087, 1303 sq., Av. 1225 sq.) atque pacem amissam ardenter desiderantes (cf. Thuc. II 65.₂, Aristoph. Pacem; Equit. 671 sq., 792 sq., 803 sq., 865 sq., 1388 sq., Nub. 6 sq., Lysistr. 1128 sq., Ran. 651 sq., 715, 1419, 1436 sq., 1530 sq., Insul. frgm. 387). Itaque sociorum quoque querimonias recipiebant demonstrantes, quo res producta

1) Verisimile enim est Eupolin hac fabula urbium condiciones ut miseras descripsisse; cf. frgm. 224 et 228 (Kock), quae recte interpretatus esse mihi videtur Müller-Strübing (Aristophanes u. die histor. Kritik, 1873, p. 286 annot.). — Coniciat quis etiam Philyllium fabula, quae Πόλεις (frgm. 10—17), Platonem ea, quae Ἑλλὰς ἢ Νῆσοι inscripta est (frgm. 21—27) similiter de imperio egisse.

2) Quod Antiphon hac in oratione scripsit (§ 79): ἅπασι γὰρ Μυτιληναίοις ἀείμνηστος ἡ τότε ἁμαρτία γεγένηται· ἠλλάξαντο μὲν γὰρ πολλῆς εὐδαιμονίας πολλὴν κακοδαιμονίαν, contendi non potest eum hic suam veram sententiam proferre.

esset perniciosis popularium studiis; praeterea ita facillime horum corruptionem, avaritiam, crudelitatem cavillari atque castigare poterant.

Accedit quod optimates moderati ipsi minime imperium remittendum esse existimabant. Qua in re plane discrepat Aristophanes cum Ps.-Xenophonte. Nam cum hic sibi persuasisset res non posse meliores fieri nisi ipsum imperium, omnium malorum fons, tolleretur, apud Aristophanem hoc nusquam significatum est. Poeta enim vetere Athenarum gloria imbutus persaepe laudibus effert aetatem illam pulcherrimam, qua Athenienses Persas vicerunt (Acharn. 181, 698 sq., Equit. 565 sq., 781 sq., 813 sq., 1323 sq., Nub. 986, Vesp. 1078 sq., Lysistr. 1250 sq., Thesmoph. 806 sq., Eccles. 303 sq.) et imperium adepti sunt (Vesp. 1091 sq.), in Equitibus etiam Populum mutatum: οἷός περ Ἀριστείδῃ πρότερον καὶ Μιλτιάδῃ ξυνεσίτει (v. 1324) vocat: τῆς Ἑλλάδος ... μόναρχον (1330) et βασιλέα τῶν Ἑλλήνων (1333). Ex verbis vero, quae Aristophanes Bdelycleonem facientem inducit (Vesp. 656—724), apparet Athenienses tum omnino putasse se et ius habere civitatibus imperandi et, cum Persas vicissent, iure a sociis munera expetere posse (v. 711: ἄξια τῆς γῆς ἀπολαύοντες καὶ τοῦ 'ν Μαραθῶνι τροπαίου); nec ita valde abhorruisse videtur ipse poeta hac a sententia, praesertim cum Bdelycleon his ipsis verbis rationes ducum popularium exagitet. — Sequitur Aristophanes sententias eorum, qui quamquam depravatum esse imperium sibi persuaserant, existimabant id corrigi posse atque, ut meliores fierent sociorum condiciones, opus esse Athenienses rationes in imperio gubernando plane commutare (cf. Equit. 1319: ὦ ταῖς ἱεραῖς φέγγος Ἀθήναις καὶ ταῖς νήσοις ἐπίκουρε). Qui non ignorabant plurimos socios odisse Atheniensium imperium (Pac. 619 sq.), neque tamen ut Ps.-Xenophon hoc odium per se necessarium esse putabant; immo apud Aristophanem

legimus eorum consilia, quibus perfectis sperabant Athenienses sociorum animos conciliaturos esse. Cum enim poeta in Pace in universum dicat oportere Athenienses multo lenius imperare (935 sq.: ὦσθ' ἐσόμεθ' ἀλλήλοισιν ἀμνοὶ τοὺς τρόπους καὶ τοῖσι συμμάχοισι πρᾳότεροι πολύ) [1]), in Lysistrata (579 sq.) imagine utens pronuntiat socios non pro subiectis ducendos, sed eodem loco habendos esse cum civibus Atheniensibus; quae cum facta sint eos ad Athenienses protegendos collaturos esse (586: κᾆτ' ἐκ ταύτης τῷ δήμῳ χλαῖναν ὑφῆναι). — Qui est unicus quod quidem videam locus, quo invenitur sententia, ex qua sociis civitatem dandam esse contendebatur. Tum igitur (a. 411) haec sententia inter optimates moderatos iam erat vulgata; post pugnam ad Aegos flumina commissam Athenienses eam exsequi animum induxerunt Samios civitate donantes.

2a. Eadem fere aetate, qua Ps.-Xenophon libellum suum conscripsit, Thucydides, qui moderatis favit optimatibus, quamquam minime omnia eorum iudicia sua fecit [2]), praetor fuit rei publicae popularis Athenarum. — Constat eum plerumque vitasse, ne suas sententias ita declararet, ut ipse loqueretur; itaque omnino ne de imperio quidem sua ipsius iudicia pronuntiavit. Id tamen apertum est eum existimasse ipsorum sociorum languore factum esse, ut Athenienses foederis pacta verbo tenus retinentes societatem magis magisque in imperium commutare possent (I 99), tametsi clare intellexit Athenienses statim cum societatem instituerent ad maiora spectasse [3]). Imperium autem ita institutum

---

1) Contrariam rationem tum suaserunt Cleonis assectatores; cf. Thuc. III 37.2 et h. op. p. 47.

2) Thuc. VIII 97.2; cf. Edmund Lange, Thukydides und die Parteien, Philol. N. F. 6, 1894, p. 616 sq.

3) I 96.1: πρόσχημα γὰρ ἦν ἀμύνεσθαι ὧν ἔπαθον δῃοῦντας τὴν βασιλέως χώραν. Classen-Steup (I[4], 1897) affert verbum πρόσχημα

iam esse tyrannidem ipsum Periclem facit concedentem (II 63.2, cf. III 37.2, VI 85.1, I 124.3), neque dubium esse potest, quin scriptor hoc ipse probaverit. Ipse enim de Naxo insula dicit (I 98.4): πρώτη τε αὕτη πόλις ξυμμαχὶς παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἐδουλώθη, ἔπειτα δὲ καὶ τῶν ἄλλων ὡς ἑκάστη. — Praeterea Athenienses ipsos identidem facit dicentes se sociis odio esse, et cum nullum locum det cogitationi illi, num haec indignatio tolli possit ita, ut Athenienses cum civitatibus imperii gubernationem communicent [1]), ut Ps.-Xenophon putat sociorum in Athenienses odium esse necessarium (I 76.1, 77.6, III 37.2, 40.3, II 64.5). Non modo autem ipse fructus a sociis ex imperio captos nusquam commemorat, sed ne Athenienses quidem ullo loco inducit demonstrantes imperium suum sociis commoda afferre, quamquam sibi persuasit Athenienses antea Persas propulsantes optime de tota Graecia meritos esse (I 73—74). — Ita rem se habere paulo accuratius nobis est demonstrandum, cum Ed. Meyer diligenter tractans Thuc. II 40.4 (in Forsch. II, p. 399 sq.) affirmet (p. $400_{\text{annot.}}$): Der Überzeugung, daß die Herrschaft der Athener über die Bundesgenossen gerecht ausgeübt wurde und ihnen weit mehr Vorteil als Nachteil brachte, die

---

significare III 82.4: Deckmantel, V 30.2: Vorwand. Cf. praeterea VI 76.3. — Euphemus autem de societate condita verba faciens (VI 82—83) propositum belli Persis inferendi ne commemorat quidem.

1) Etiam Diodotus Cleonis atrocia consilia impugnans ad imperium a sociorum rebellionibus defendendum nihil profert nisi oportere eos acriter custodiri (III 46.6). — Neque vero ignorabant Athenienses, quantae utilitati esset unam urbem multarum civitatum societatem regere; Pericles enim inter ea, quibus Athenienses praestent Peloponnesiis (Thuc. I 143.3), hoc commemorat: ὅταν (sc. Πελοποννήσιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι) μήτε βουλευτηρίῳ ἑνὶ χρώμενοι παραχρῆμά τι ὀξέως ἐπιτελῶσι, πάντες τε ἰσόψηφοι ὄντες καὶ οὐχ ὁμόφυλοι τὸ ἐφ' ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδῃ, ἐξ ὧν φιλεῖ μηδὲν ἐπιτελὲς γίγνεσθαι e. q. s. (I 141.6-7).

Athen deshalb gemachten Vorwürfe also unbegründet seien, gibt Thukydides auch sonst Ausdruck, nicht nur in der Rede der Athener I 76.4 f., sondern auch in den Worten des Phrynichos VIII 48.6".

Ac primum quidem Athenienses illo loco identidem contendunt oportere ius potentioris esse solam normam (I 75.5, 76.2-3, 77.3); affirmant quidem se modestius imperare quam alias civitates quae imperium teneant (I 76.4, 77.2), neque vero se modeste imperare contendere audent nisi ratione illa de potentioris iure accepta (77.3, 76.3). Ut autem demonstrent sibi pro hac moderatione malam gratiam referri, dicunt sibi etiam litium cupiditatem obici, si cum sociis litigantes causa cadant, et quamquam sociis in ipsa urbe eadem iura concesserint, quae ipsi adhibeant (77.1) [1]. — Neque tamen dicunt omnino imperium sociis emolumento esse; immo existimant oportere socios Atheniensibus gratias habere, non quod ex imperio commoda, sed quod non maiora damna acceperint (77.3): ἤν τι παρὰ τὸ μὴ οἴεσθαι χρῆναι ἢ γνώμῃ ἢ δυνάμει τῇ διὰ τὴν ἀρχὴν καὶ ὁπωσοῦν ἐλασσωθῶσιν, οὐ τοῦ πλέονος μὴ στερισκόμενοι χάριν ἔχουσιν, ἀλλὰ τοῦ ἐνδεοῦς χαλεπώτερον φέρουσιν. — Phrynichus autem nil aliud dicit nisi imperii oppida haudquaquam fideliora futura esse, si Athenienses vel ipsi instituant paucorum dominationem vel iis instituendam promittant (VIII 48.5): οὐ γὰρ βουλήσεσθαι αὐτοὺς μετ' ὀλιγαρχίας ἢ δημοκρατίας δουλεύειν μᾶλλον ἢ μεθ' ὁποτέρου ἂν τύχωσι τούτων ἐλευθέρους εἶναι: ergo etiam Phrynichus existimat socios sub imperio pati servitutem. Deinceps dicit: τούς τε καλοὺς κἀγαθοὺς ὀνομαζομένους οὐκ ἐλάσσω αὐτοὺς νομίζειν σφίσι πράγματα παρέξειν τοῦ δήμου: ergo etiam imperium usque ad illud tempus a populo Atheniensium administratum Phrynichi e sen-

1) Sequor huius enuntiati interpretationem, quam Ed. Meyer, Gesch. III, p. 500 exhibet; aliter rem explicat Busolt, III 1, p. 236[1].

tentia sociis oneri fuit! — Tum affirmat socios putare se, quod ad optimates Atheniensium attineat, etiam sine iudicio et importunius interfectum iri, et refugium sibi esse imperium populi, quippe qui hos coerceat (τὸν δὲ δῆμον σφῶν τε καταφυγὴν εἶναι καὶ ἐκείνων σωφρονιστήν). — Equidem nulla ratione intellegere possum, quomodo ex his Phrynichi verbis concludi possit secundum Thucydidis iudicium socios ex imperio multo plus commodi quam damni accepisse. — Ceteri loci, quos quis ut ad hanc rem pertinentes afferre possit, quod quidem intellegam hi sunt:

VI 82 sq. Euphemus studet oratione Camarinaeos ad societatem cum Atheniensibus ineundam adducere. Si Thucydides existimasset imperium sociis emolumento fuisse, nonne exspectaremus, ut hoc loco Euphemum faceret id explanantem? Qui id imprimis agit, ut Camarinaeis persuadeat Athenienses iis veram societatem, non servitutem offerre dicens urbem non aequaliter omnes tractare socios, sed unumquemque ita, ut utilitate postuletur (c. 85.2); et postea ut tollat timorem curiosae Atheniensium sedulitatis (πολυπραγμοσύνη), de hac eorum natura universe dicit (87.3 sq.): καὶ νομίσατε μὴ πάντας ἐν ἴσῳ βλάπτειν αὐτά, πολὺ δὲ πλείους τῶν Ἑλλήνων καὶ ὠφελεῖν. ἐν παντὶ γὰρ πᾶς χωρίῳ κἂν ᾧ μὴ ὑπάρχομεν ὅ τε οἰόμενος ἀδικήσεσθαι καὶ ὁ ἐπιβουλεύων διὰ τὸ ἑτοίμην ὑπεῖναι ἐλπίδα . . . ἐπικουρίας . . ., ἀμφότεροι ἀναγκάζονται e. q. s. — Neque vero dicit socios ex imperio commoda accipere.

VII 61 sq. Nicias ante extremam pugnam militum animos inflammare studet. Consentaneum igitur est eum omnia proferre, quibus milites ad fortiter proeliandum commoveri possint. Qui praeter ipsos Athenienses maximam partem ex oppidis subiectis orti erant (Thuc. VII 57.3). Dicit autem Nicias (c. 63.3 sq.): τοῖς δὲ ναύταις παραινῶ . . . ἐκείνην τε τὴν ἡδονὴν ἐνθυμεῖσθαι ὡς

ἀξία ἐστὶ διασώσασθαι, οἳ τέως Ἀθηναῖοι νομιζόμενοι καὶ μὴ ὄντες ἡμῶν τῆς τε φωνῆς τῇ ἐπιστήμῃ καὶ τῶν τρόπων τῇ μιμήσει ἐθαυμάζεσθε κατὰ τὴν Ἑλλάδα, καὶ τῆς ἀρχῆς τῆς ἡμετέρας οὐκ ἔλασσον κατὰ τὸ ὠφελεῖσθαι, ἔς τε τὸ φοβερὸν τοῖς ὑπηκόοις καὶ τὸ ἀδικεῖσθαι, μετείχετε. ὥστε κοινωνοὶ μόνοι ἐλευθέρως ἡμῖν τῆς ἀρχῆς ὄντες e. q. s. Apertum est eum his verbis solos metoecos alloqui, qui inter nautas erant [1]). Thucydides igitur Niciam apud totum exercitum, apud milites subiectorum oppidorum inducit dicentem ad metoecos: ἔς τε τὸ φοβερὸν τοῖς ὑπηκόοις! Nicias in hoc summo rerum discrimine solos metoecos audet monere, quanta emolumenta acceperint ex imperio Atheniensi, pro quo pugnaturi sunt. Si Thucydidis e sententia sociis fuisset imperium commodo, consentaneum esset eum hoc loco facere Niciam id explanantem; at hic de imperii emolumentis dicens caute diligenterque solos metoecos alloquitur, ad socios autem nihil dicit nisi c. 61.3: καὶ ὅσοι τῶν ξυμμάχων ξυστρατευόμενοι αἰεί [2]).

III 39. Cleon demonstrare studet Mytilenaeos nihil habuisse, cur desciscerent ab Atheniensibus. Et floruisse Mytilenas ante defectionem dicit (39.3: οὔτε ἡ παροῦσα εὐδαιμονία παρέσχεν ὄκνον μὴ ἐλθεῖν ἐς τὰ δεινά et 39.4: εἴωθε δὲ τῶν πόλεων αἷς ἂν μάλιστα ἀπροσδόκητος καὶ δι' ἐλαχίστου εὐπραξία ἔλθῃ, ἐς ὕβριν τρέπειν). Nec tamen Cleon contendit Mytilenaeos hanc rerum prosperitatem debere Atheniensium imperio atque ideo iniuste se gessisse, cum desciscerent; sed explicans, quanta

---

1) Iam scholiasta annotavit: οἳ τέως Ἀθηναῖοι νομιζόμενοι] τοὺς μετοίκους λέγει; etiam Classen ita verba interpretatur. Aristophanes similiter dicit Acharn. 508: τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω. — De rationibus quibus Athenienses ad naves complendas adhibuerunt metoecos cf. W. Kolbe, De Atheniensium re navali, Diss. Berol. 1899, p. 42 sq. (= Philolog. N. F. 12, 1899, p. 543 sq.).

2) Similiter res se habet in ultima Niciae oratione, VII 77.7.

fuerit eorum hac in re iniuria, alias causas profert (39.2: νῆσον ἔχοντες, αὐτόνομοί τε οἰκοῦντες καὶ τιμώμενοι ἐς τὰ πρῶτα ὑπὸ ἡμῶν, 39.3: ἐπέθεντο ἡμῖν οὐκ ἀδικούμενοι). Plane praeterea declarat omnia haec ad solos Mytilenaeos, liberos socios, pertinere (39.2 et 5), non ad ceteras civitates (cf. 39.2: οἵτινες μὲν μὴ δυνατοὶ φέρειν τὴν ὑμετέραν ἀρχήν).

Iam venimus ad II 40.4; quae verba ad imperium pertinere Ed. Meyer l. c. demonstrare studet. Contendit enim iis Periclem refellere convicia, quibus Atheniensibus obiectum sit eos vexare atque opprimere socios, qui stipendiis laboribusque urbis potentiam creassent sustinerentque; verba enim: οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ, ἀλλὰ δρῶντες κτώμεθα τοὺς φίλους ad socios referenda esse: „Die Freunde, die Athen erworben hat, sind die Bundesgenossen insgesamt“. — At paucis verbis interpositis Pericles de sociis dicit (c. 41.3): οὔτε τῷ ὑπηκόῳ κατάμεμψιν, ὡς οὐχ ὑπ' ἀξίων ἄρχεται, et saepe scriptor eos appellat ὑπηκόους, nusquam vero φίλους τῶν Ἀθηναίων (cf. p. 25—26). Deinde nonne permirum esset Periclem tam obscure de Atheniensium in socios imperio loqui, tam obscure convicia illa haud ambigue pronuntiata impugnare? Praeterea Athenienses, ut infra accuratius demonstrabimus (p. 36 sq.), apud Thucydidem semper imperium suum defendunt ex sententia illa, ex qua potentior natura ius habet suae tantum utilitatis spectandae (τὸ ξυμφέρον); Pericles autem hoc loco Meyeri ex iudicio de hoc ipso in socios imperio diceret: καὶ μόνοι οὐ τοῦ ξυμφέροντος μᾶλλον λογισμῷ ἢ τῆς ἐλευθερίας τῷ πιστῷ ἀδεῶς τινα ὠφελοῦμεν; idem Pericles, qui in ceteris orationibus non sine causa fugit quaerere, num Athenienses secundum morum praecepta iure imperium obtineant, qui alio loco concedit imperium iam esse tyrannida: ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι (II 63.2), hic de sociis explicaret Meyeri verbis allatis: „Athen

hat ihnen zuerst Wohltaten erwiesen, indem es sie rettete, und erweist sie ihnen noch fortwährend (ὥστε ὀφειλομένην δι' εὐνοίας ᾧ δέδωκε σῴζειν), indem es sie beschützt und an den Vorteilen seiner Machtstellung teilnehmen läßt". — Paulo post (c. 41.2) Pericles Atheniensium commemorat potentiam, sed hos eius commoda cum sociis communicare minime dicit, id unum contendit socios queri non posse, quod indigni sibi imperent. — Quibus de causis Meyeri interpretatio recta non est [1]: nusquam Thucydides imperium sociis commodo esse aut ipse ostendit aut Athenienses inducit contendentes. Itaque concludendum est eum existimasse emolumenta a sociis ex imperio percepta non fuisse tanta, quin libertate rei publicae amissa omnino obscurarentur.

At Thucydides quamquam intellexit imperium esse tyrannida, socios oppressos esse atque omnino odisse urbis imperium, Athenienses in eo administrando semper suam potissimum utilitatem sequi (cf. p. 37), tamen sibi persuasit Athenienses habere ius imperandi. Ipse quoque agnovit eos antea suorum commodorum oblitos Graeciam a Persarum servitio prohibuisse, sed non tam

---

1) Wilamowitzius (Griech. Lesebuch, I⁵2, 1910, p. 97) recte hanc sententiam explicat demonstrans Periclem hoc loco rationes vulgares epitaphiorum sequentem spectare ad veterem Atheniensium gloriam. — Ad eos dumtaxat socios haec verba referri possunt, qui non imperio tenebantur, non tributa pendebant, non naves imperatas aedificabant (οὐ γὰρ πάσχοντες εὖ), ut ad Cercyraeos et civitates Siciliae Atheniensibus amicas; conferendum est, quod Nicias expeditionem in Siciliam faciendam dissuadens dicit (VI 13.2): καὶ τὸ λοιπὸν ξυμμάχους μὴ ποιεῖσθαι, ὥσπερ εἰώθαμεν, οἷς κακῶς μὲν πράξασιν ἀμυνοῦμεν, ὠφελίας δ' αὐτοὶ δεηθέντες οὐ τευξόμεθα. An putat quisquam hoc loco de sociis, qui in imperio erant, posse cogitari? — Verba autem: βεβαιότερος δὲ ὁ δράσας e. q. s. ad certas res referenda non sunt; continent enim, ut iam Krueger annotavit, communem sententiam, quam postea diligenter tractavit Aristoteles (Eth. Nic. IX 7, 1167 b.16 sq., etiam Ethic. Eudem. VII 8, p. 1241 a.35 sq.).

hanc ob causam existimavit Athenienses iure imperium, quod tum erat, tenere [1]), quam quia ipsi sociis languentibus (I 99.3) a nullis umquam iacturis laboribusque abhorruissent ad potentiam suam augendam atque servandam (II 64.3) [2]), semper autem potentiores imperarent infirmioribus (I 75.5, 76.1-2, 77.3, 91.7, III 11.1, IV 61.5, 92.4, V 89, 105.2, VI 85.1; cf. etiam I 8.3, 9.1 et 3), seduli languidis (II 63.2, VI 18.2-3), quia Athenienses urbem suam praeclare auctam τῆς Ἑλλάδος παίδευσιν fecissent (II 37—43). Et imperio ipso everso Thucydides tam penitus sensit, quanta fuisset eius magnificentia splendorque, ut Periclis rationes defendere in animum induceret existimans iure hunc virum iudicasse Atheniensium esse potentiam suam semel a patribus acceptam utique nullum admittentes damnum servare atque defendere [3]).

2b. Cum multae exsistant difficultates quaerenti, quid ipse scriptor de imperio Atheniensi iudicaverit, orationibus ab eo optime docemur, quid his temporibus et ipsi Athenienses, qui imperium administraverunt, et urbis hostes de eo existimaverint. Orationibus enim

---

1) Cf. I 73.3, 74.1-2, 75.1 et V 89, VI 83.2. — Abnuebat enim disceptationes, in quibus num Athenienses secundum morum praecepta iure sibi peperissent imperium quaerebatur, neque Periclem ullo verbo hanc rem attingentem fecit.

2) Cf. praeterea I 70.2, 4, 8-9, 74.1, 2, 102.3, 124.3, II 36.2, 39.4, 41.4, 43.1, 62.3, 63.1, 2, 64.4, 5, 65.12, III 38.7, IV 55.2, 60.2, 92.4, VI 9.3, 18.2, VII 21.3, VIII 96.5. — Corinthii hanc Atheniensium naturam in maius extollunt dicentes (I 70.8): καὶ ταῦτα μετὰ πόνων πάντα καὶ κινδύνων δι' ὅλου τοῦ αἰῶνος μοχθοῦσι, καὶ ἀπολαύουσιν ἐλάχιστα τῶν ὑπαρχόντων διὰ τὸ αἰεὶ κτᾶσθαι καὶ μήτε ἑορτὴν ἄλλο τι ἡγεῖσθαι ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι e. q. s.; fortasse scriptor Periclem ad eiusmodi opprobria spectantem facit cum dicit (II 38.1): καὶ μὴν καὶ τῶν πόνων πλείστας ἀναπαύλας τῇ γνώμῃ ἐπορισάμεθα, ἀγῶσι μέν γε καὶ θυσίαις διετησίοις νομίζοντες.

3) Cf. etiam Edmund Lange, l. c. p. 626 sq.

notum est Thucydidem esse usum, ut explanaret, quid diversae partes de rerum statu iudicavissent, quibus consiliis ad res gestas commotae essent. Qua in re omnes fere, quos de imperio dissertantes inducit, proficiscentes facit ab ea quaestione, quam primi sophistae si minus proposuerunt, attamen excoluerunt, ex qua disputabatur, utrum iustitiam (τὸ δίκαιον) an utilitatem (τὸ συμφέρον) normam esse oporteret, utrum validior natura ius haberet subigendi infirmiorem necne [1]; quae quaestio ad iudicia de imperio facta illa aetate multum valuit. — Ipsi sophistae quibus argumentis defenderint ius naturae, praecipue ex Platonis dialogis cognoscimus (cf. Gorg. 483 d sq., Leg. IV 714 b —715 b); proprie autem Thrasymachus, si modo Platonem sequimur [2], hanc de iure validioris doctrinam

---

1) Hac in re nec sophistae nec Plato disiunxerunt civitatem et singulos homines, cum putarent eadem morum praecepta ad rem publicam pertinere atque ad singulos homines. Haec etiam Isocratis fuit sententia; dicit enim (VIII 119/20): ἣν (sc. τὴν σωφροσύνην) ὑμεῖς ἐπὶ μὲν τῶν ἰδιωτῶν ἐπαινεῖτε . . ., τὸ δὲ κοινὸν ἡμῶν οὐκ οἴεσθε δεῖν τοιοῦτον παρασκευάζειν. καίτοι προσήκει τὰς ἀρετὰς ἀσκεῖν καὶ τὰς κακίας φεύγειν πολὺ μᾶλλον ταῖς πόλεσιν ἢ τοῖς ἰδιώταις e. q. s. Ipsis autem his verbis Isocrates, quod quidem videam, primus nos docet tum fuisse, qui aliter existimarent. Discipulus vero, quem Isocrates in Panathenaico inducit, aperte affirmat inter cives sequendas esse virtutes, in rebus publicis avaritiam (πλεονεξία; XII 243 sq.). Postea Demosthenes accurate distinxit (XV 29): τῶν μὲν γὰρ ἰδίων δικαίων τῶν ἐν ταῖς πολιτείαις οἱ νόμοι κοινὴν τὴν μετουσίαν ἔδοσαν καὶ ἴσην καὶ τοῖς ἀσθενέσιν καὶ τοῖς ἰσχυροῖς· τῶν δ' Ἑλληνικῶν δικαίων οἱ κρατοῦντες ὁρισταὶ τοῖς ἥττοσι γίγνονται, et hac ab sententia profectus est Theophrastus de Aristide dicens (Plut. Arist. 25): τὸν ἄνδρα τοῦτον περὶ τὰ οἰκεῖα καὶ τοὺς πολίτας ἄκρως ὄντα δίκαιον ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης.

2) Nuperrime H. Gomperz (Sophistik u. Rhetorik, 1912, 51 sq.) negavit Platonem reddere ipsius Thrasymachi sententiam; at cf. Ed. Schwartz, Commentatio de Thrasymacho Chalcedonio (Index

excoluit[1]) de unius urbis rebus docens (Rei publ. 338e): τίθεται δέ γε τοὺς νόμους ἑκάστη ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ αὑτῇ συμφέρον . . . τοῦτ' οὖν ἐστιν, ὦ βέλτιστε, ὃ λέγω ἐν ἁπάσαις ταῖς πόλεσιν εἶναι δίκαιον, τὸ τῆς καθεστηκυίας ἀρχῆς συμφέρον (cf. etiam Rei publ. 343b sq., 351b sq.).

Luce clarius est totam hanc quaestionem nondum provenisse ea aetate, qua inter Thucydidem et Periclem certabatur. Et profecto apud Plutarchum ea adhibita non est in horum de imperio administrando disceptatione, quamquam apertum est Thucydidem τὸ δίκαιον defendere, Periclem explicare rationes suas cum iustas tum utiles (τὸ συμφέρον) esse (v. Pericl. 12); hac quoque re confirmari potest fontem huius narrationis esse egregium[2]). — Necdum apud Herodotum ulla, nisi fallor huius quaestionis vestigia exstant[3]). Sed paulo post, quam Herodotus opus suum conscripserat, Ps.-Xenophon animum induxit demonstrare in Atheniensium re publica omnibus ex partibus ad effectum perductam esse illam Thrasymachi doctrinam: τίθεται

---

schol. Rostoch., 1892) p. 15 sq., P. Wendland, Gött. gelehrt. Anz. 1913, nr. 1, 54 sq.

1) Cf. Ed. Schwartz, l. c.

2) Saepe posteri maiorum res gestas illa ex quaestione descripserunt; ipse Plutarchus eiusmodi narrationes secutus est in v. Aristid. c. 25 (εἰπεῖν ἐκεῖνον (= τὸν Ἀριστείδην) ὡς οὐ δίκαιον μέν, συμφέρον δὲ τοῦτ' ἐστιν) et c. 22 (= v. Themist. c. 20); cf. etiam v. Lysandri c. 7.

3) Herodotus, ut exemplum afferam, legatos, quos Athenienses non multum ante pugnam ad Plataeas commissam ad Lacedaemonios miserunt, demonstrantes facit (IX. 7) regem Persarum sibi permulta promisisse (τὸ συμφέρον), se tamen nolentes Graeciam prodere omnia repudiasse (τὸ δίκαιον): καίπερ . . . ἐπιστάμενοι . . ὅτι κερδαλεώτερόν ἐστι ὁμολογέειν τῷ Πέρσῃ μᾶλλον ἤπερ πολεμέειν· οὐ μὲν οὐδὲ ὁμολογήσομεν ἑκόντες εἶναι· καὶ τὸ μὲν ἀπ' ἡμέων οὕτω ἀκίβδηλον νέμεται ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας (c. 7. 2). — Qua in narratione latet quaestio illa, utrum τὸ συμφέρον an τὸ δίκαιον sequendum sit; sed Herodotus eam nec proponit nec verbis utitur, quibus significetur.

δέ γε τοὺς νόμους ἑκάστη ἡ ἀρχὴ πρὸς τὸ αὑτῇ συμφέρον[1]). Quam doctrinam ipse prorsus comprobavit; ubique enim sentimus eum exposuisse, quid ipse verum putaret. Itaque existimavit iure populares Atheniensium eam sequentes ad sua tantum commoda in re publica administranda spectare (II 20): δημοκρατίαν δ' ἐγὼ μὲν αὐτῷ τῷ δήμῳ συγγιγνώσκω· αὑτὸν μὲν γὰρ εὖ ποιεῖν παντὶ συγγνώμη ἐστίν. Atque etiam imperium Atheniense primus illa sententia usus descripsit, cum ostenderet Athenienses imperantes omnia suis tantum emolumentis commodisque metiri[2]).

Ex Thucydidis vero orationibus cognoscimus tum iam plane usitatum fuisse iudicia de imperio facienda ad illam quaestionem referre[3]). Scriptori enim curae est, ut omnes, quos inducit imperium increpitantes, Corinthii Lacedaemonii Thebani Hermocrates, proficiscantur ab opinione illa, ex qua postulabatur, ut etiam civitatum res gestae ad solam iustitiae normam (τὸ δίκαιον) referrentur (I 76.2: τῷ δικαίῳ λόγῳ νῦν χρῆσθε); itaque hi viri opprobria illa de iniusta urbis dominatione ac de sociorum servitio facta suscipiunt, quae et ipsi socii

---

1) **Hoc docuit Ed. Schwartz, l. c.**

2) Cf. p. 14 sq. — Scriptor utitur verbis: I 7: μᾶλλον λυσιτελεῖ, 11: λυσιτελεῖ, 13: ἔν τε τοῖς δικαστηρίοις οὐ τοῦ δικαίου αὐτοῖς μᾶλλον μέλει ἢ τοῦ αὑτοῖς συμφόρου, 15: μεῖζον ἀγαθὸν εἶναι, 16: ὅσα ἐν τούτῳ ἔνι ἀγαθὰ τῷ δήμῳ, 17: ὁ δῆμος . . . τάδε κερδαίνει, II 19: τοὺς μὲν σφίσιν αὐτοῖς ἐπιτηδείους καὶ συμφόρους φιλοῦσι, III 11: οὐ συνήνεγκεν αὐτοῖς.

3) Statim in primis Thucydidis orationibus haec quaestio apparet; Cercyraei enim praecipue utilitatem consiliorum suorum proponunt (I 32.1, 34.1, 35.5, 36.1: καὶ ὅτῳ τάδε ξυμφέροντα μὲν δοκεῖ λέγεσθαι, φοβεῖται δὲ μὴ . . . τὰς σπονδὰς λύσῃ), cum Corinthii Athenienses ut sequantur iustitiae praecepta moneant (I 40.1, 41.1, 42.1: μὴ νομίσῃ δίκαια μὲν τάδε λέγεσθαι, ξυμφέρον δὲ . . . ἄλλα εἶναι e. q. s); iam scholiasta annotavit ad I 32: ἡ τοῦ Κερκυραίου δημηγορία μᾶλλον τὸ συμφέρον προβάλλεται ἤπερ τὸ δίκαιον, ἡ δὲ τοῦ Κορινθίου μᾶλλον τὸ δίκαιον ἤπερ τὸ συμφέρον.

et optimates Athenienses iam diu protulerant. Quorum conviciorum exempla statim in primo libro Corinthii exhibent dicentes (122.3): τύραννον δὲ ἐῶμεν ἐγκαθεστάναι πόλιν, (69.1): ὁ δουλωσάμενος (cf. etiam III 64.4: μετὰ γὰρ Ἀθηναίων ἄδικον ὁδὸν ἰόντων), et satis notum est Lacedaemonios eorumque socios, imprimis Brasidam, non frustra se Graeciam iniusta Atheniensium servitute liberaturos esse praedicasse (cf. I 124.3: τοὺς νῦν δεδουλωμένους Ἕλληνας ἐλευθερώσωμεν, II 8.4, 72.1, III 13.1, 7, IV 85—86.1, 88.1, 108.2, 121.1, V 9.9, Isocr. 12.103). — Athenienses autem, qui imperium defendunt, nusquam apud Thucydidem ex hac eadem iustitiae regula argumenta adversariorum refutare conantur[1]). Immo identidem fortiter negant hanc normam ad res publicas adhibendam esse (I 76.2, III 40.4, 44.1, 2, 4, 46.4, V 89); omnes enim Athenienses, quos scriptor imperium defendentes inducit, illam de potentioris iure doctrinam suam faciunt. Eam proferunt Atheniensium legati, qui in priore Peloponnesiorum conventu orationem habent (I 76.1, 77.3, 75.1: πᾶσι δὲ ἀνεπίφθονον τὰ ξυμφέροντα τῶν μεγίστων περὶ κινδύνων εὖ τίθεσθαι, 76.2: αἰεὶ καθεστῶτος τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι e. q. s.), Cleon (III 40.4: παρὰ τὸ εἰκός τοι καὶ τούσδε ξυμφόρως δεῖ κολάζεσθαι), Diodotus (III 46.4, 47.5, 44.1—4: ἡμεῖς δὲ οὐ δικαζόμεθα πρὸς αὐτοὺς ὥστε τῶν δικαίων δεῖν, ἀλλὰ βουλευόμεθα περὶ αὐτῶν, ὅπως χρησίμως ἕξουσιν), Euphemus (VI 82.3, 83.2, 85.1: ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅτι ξυμφέρον οὐδ' οἰκεῖον ὅτι μὴ πιστόν). Asperrime autem legati, qui cum Meliis dialogum habent,

---

1) Solus Euphemus quamquam ipse quoque haud ambigue praedicat oportere potentioris ius solam esse normam, et hac ex sententia imperium Atheniense describit (VI 82.3, 83.2, 85.1), tamen addit (82.3): καὶ ὡς τὸ ἀκριβὲς εἰπεῖν οὐδὲ ἀδίκως καταστρεψάμενοι τούς τε Ἴωνας καὶ νησιώτας e. q. s.; quod ut probet facere non potest, quin res gestas depravet (cf. p. 42 sq.).

hanc sententiam exsequuntur (V 85—111). — Apertum est cum Meliis stare τὸ δίκαιον (c. 86: περιγενομένοις μὲν τῷ δικαίῳ, 104: ὅσιοι πρὸς οὐ δικαίους ἱστάμεθα); at statim Athenienses recusant, ne hanc oporteat esse normam (c. 89: μετ' ὀνομάτων καλῶν, ὡς ἢ δικαίως... ἄρχομεν ἢ ἀδικούμενοι νῦν ἐπεξερχόμεθα et: ἐπισταμένους πρὸς εἰδότας ὅτι δίκαια μὲν ἐν τῷ ἀνθρωπείῳ λόγῳ ἀπὸ τῆς ἴσης ἀνάγκης κρίνεται, δυνατὰ δὲ οἱ προύχοντες πράσσουσι καὶ οἱ ἀσθενεῖς ξυγχωροῦσιν, cf. c. 105). Melii Atheniensibus morem gerere coguntur (c. 90: ἀνάγκη γάρ. ἐπειδὴ ὑμεῖς οὕτω παρὰ τὸ δίκαιον τὸ ξυμφέρον λέγειν ὑπέθεσθε, 98: τῶν δικαίων λόγων ἡμᾶς ἐκβιβάσαντες τῷ ὑμετέρῳ ξυμφόρῳ ὑπακούειν πείθετε) et deinde totus dialogus nihil est nisi disputatio, qua exquiritur, quid sit et Atheniensibus et Meliis utilissimum[1]), et quid Melii ex rebus, quae tum erant, assequi possint.

Etiam quaerenti, quid ipse Thucydides de imperio iudicaverit, hoc grave est argumentum, quod semper ex contrariis illis rationibus Athenienses et hostes eorum de imperio iudicantes inducit, quod nusquam facit Athenienses conantes ex iustitiae norma imperium suum defendere. Itaque mirum non est, quod Pericles in epitaphio Athenas praedicans imperium non nisi brevissime perstringit (Thuc. II 36.$_{2 \text{ et } 3}$, 41.$_{2-4}$).

Et profecto cum Lacedaemonii bello exorto pronuntiarent se arma capere, ut obsisterent iniuriis Atheniensium atque omnes Graecos vindicarent ab iniusto urbis dominatu, Athenienses ex eadem iustitiae norma non ita facile ostendere poterant falsa esse haec convicia; fatendum iis erat imperium suum esse tyran-

---

1) Melii student V 90 demonstrare Atheniensibus utile esse non violare iustum; similiter Corinthii I 42.2 contendunt iustum semper esse utile: τό τε γὰρ ξυμφέρον, ἐν ᾧ ἄν τις ἐλάχιστα ἁμαρτάνῃ, μάλιστα ἕπεται. — Etiam Cleonem et Diodotum scriptor facit dissentientes, quid sit τὸ ξυμφέρον (cf. III 44.3, 47.5).

nidem: ἣν λαβεῖν μὲν ἄδικον δοκεῖ εἶναι (II 63.2), socios plurimos privatos esse libertate. Quid igitur? Existimandumne erat imperium Atheniense, quod tenens urbs ipsa splendidissime florebat, quo Graeci numquam maiorem rem publicam adepti erant, nulla ratione defendi atque comprobari posse? Qua in re Atheniensibus opportunissime obvenit sophistarum de potentioris iure et de utilitatis norma doctrina[1]; libenter eam acceperunt, eam probantes contendere potuerunt (I 76.2): θαυμαστὸν οὐδὲν πεποιήκαμεν οὐδ' ἀπὸ τοῦ ἀνθρωπείου τρόπου . . . . ἀλλ' αἰεὶ καθεστῶτος τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι.

Id tamen in dubium vocari potest, protulerintne Athenienses reapse cum aliis civitatibus agentes tam aperte ius potentioris. De dialogo quidem cum Meliis habito rectissime iam Grotius dixit (Geschichte Griechenlands, übersetzt von Meißner, IV, 1854, 90): „Von Recht, das auf diese Art nur auf einfache Übermacht der Gewalt gegründet war, würden überreichlich Beispiele als Parallelen zu der atheniensischen Eroberung von Melos zitiert werden können. Was aber seinesgleichen nicht hat, ist die vom atheniensischen Gesandten angenommene Art, sie zu rechtfertigen oder vielmehr alle Rechtfertigung beiseite zu setzen“ e. q. s. Et vero luce clarius est hoc quidem dialogo non modo veram disceptationem non reddi, sed eum etiam omnino distare a colloquio, quod per se haberi poterat. Maxima eius pars non valde differt a disputatione ad litteras pertinenti, et fortasse ex hoc potissimum dialogo efficere possumus tum, cum disputabatur, utrum

---

1) Altera ex parte hanc doctrinam tum nonnihil adiutam esse puto ea re, quod ex imperio Atheniensi plane intellegi posse videbatur eam esse rectam.

τὸ δίκαιον an τὸ συμφέρον sequendum esset[1]), viros litteratos etiam his ex rationibus utrum imperium Atheniense comprobari posset necne disseruisse, similiter atque apud Thucydidem his a normis proficiscuntur ei, qui de imperio verba faciunt.

2c. Sed iam tempus est accuratius singula iudicia perscrutari, quae apud Thucydidem Athenienses eorumque hostes de imperio faciunt. Quorum omnium sententias plus minus inter se coniunxit scriptor; itaque facere non possumus, quin de unaquaque causa extemplo omnium iudicia afferamus atque comparemus.

Ius potestatemque principatus obtinendi Athenienses eo sibi parasse, quod suae utilitatis immemores totam Graeciam a Persarum servitute vindicassent, explicare studuerat Herodotus. Thucydides autem quamquam legatos Atheniensium similia demonstrantes inducit (I 74.2: ἠξιώσαμεν . . . μηδ᾽ ὣς τὸ τῶν περιλοίπων ξυμμάχων κοινὸν προλιπεῖν e. q. s.), tamen alios Athenienses hanc causam facit abnuentes (V 89, VI 83.2); id tamen et Atheniensium legati et Euphemus laudat Athenienses his temporibus quibuscumque rationibus commotos summam fortitudinem sedulitatemque praestitisse atque ostendisse se dignos esse, qui imperarent (I 74, 75.1, 73.1; VI 83). — Hermocrates ex contrario negat Athenienses ad salutem ceterorum Graecorum

1) Anonymus Iamblichi, qui aetate belli Peloponnesiaci fuit, sophistarum de iure validioris doctrinam impugnat (cf. frgm. 3, 6, 7; Diels, Frgm. d. Vorsokr. II1², 1907, p. 631 sq.). Quae harum sententiarum vestigia exstent apud Euripidem, invenies apud F. Dümmler, Kleine Schriften I, 157 sq., W. Nestle, Euripides, 1901, p. 45 sq., 60 sq., 202 sq., 335 sq., 344 sq., 359 sq., 418.25. — Commemorari potest in altercationibus quoque illis, quae δισσοὶ λόγοι vocantur, disputari: περὶ δικαίου καὶ ἀδίκου (Diels, l. c., p. 641.18 sq.); cf. etiam Aristoph. Nub. 889 sq.

spectantes Persis restitisse (VI 76. 4: περὶ δὲ οἱ μὲν (= οἱ Ἀθηναῖοι) σφίσιν ἀλλὰ μὴ ἐκείνῳ καταδουλώσεως sc.: τῷ Μήδῳ ἀντέστησαν); quin etiam fuisse, qui de ipsis bellis Persarum detraherent, ut urbis gloriam minuerent, ex Hermocratis verbis apparet (VI 33. 5 sq.: τοῦ Μήδου παρὰ λόγον πολλὰ σφαλέντος ἐπὶ τῷ ὀνόματι ὡς ἐπὶ Ἀθήνας ᾔει ηὐξήθησαν, cf. etiam I 69. 5; Theopompi frgm. 148, Grenfell.). Sthenelaidas autem ephorus res ipsas veras esse concedens abnuat ex iis sequi Athenienses nunc ius habere alios Graecos violandi (I 86. 1).

Ultro socii Atheniensibus principatum detulerant (I 95. 1, 96. 1), neque hi ostentare cunctantur socios ab ipsis petivisse, ut eum acciperent (I 75. 2, 76. 2). At Athenienses societatem ita conditam paulatim in urbis imperium converterant: itaque Hermocrates id, quod socii sua sponte Athenienses duces fecerant, ita adhibet, ut his eo magis dominatum sociorum crimini vertat dicens (VI 76. 3): ἡγεμόνες γὰρ γενόμενοι ἑκόντων τῶν .. Ἰώνων ... κατεστρέψαντο; significat igitur Athenienses iure illis temporibus principatum adeptos esse, summa iniuria eum in imperium convertisse. — Etiam multos socios increpasse Athenienses, quod dominationem instituentes prorsus excessissent pristinae societatis propositum, id quod iam Thucydides Pericli opposuerat (cf. p. 7 sq.), ex Mytilenaeorum verbis cognoscimus (III 10. 3): ξύμμαχοι μέντοι ἐγενόμεθα οὐκ ἐπὶ καταδουλώσει τῶν Ἑλλήνων Ἀθηναίοις, ἀλλ' ἐπ' ἐλευθερώσει ἀπὸ τοῦ Μήδου τοῖς Ἕλλησιν et (10. 4): ἑωρῶμεν αὐτοὺς τὴν μὲν τοῦ Μήδου ἔχθραν ἀνιέντας, τὴν δὲ τῶν ξυμμάχων δούλωσιν ἐπειγομένους. Praeterea Mytilenaei explanant, quam callide Athenienses hac in re se gesserint[1]) infirmissimas urbes primas opprimentes (III 10. 5,

1) Confer, quod Corinthii I 69. 3 de Atheniensium rationibus dicunt: καὶ ἐπιστάμεθα, οἵᾳ ὁδῷ οἱ Ἀθηναῖοι καὶ ὅτι κατ' ὀλίγον χωροῦσιν ἐπὶ τοὺς πέλας.

11.2 sq.). Similiter Hermocrates contendit Athenienses vanas causas interponentes semper id unum egisse, ut socios subigerent (VI 76.3). Expeditiones autem, quibus Athenienses imperii fines propagare conati erant, Thebani cum Persarum incursionibus comparant (III 62.1): ἐπειδὴ δὲ καὶ ὁ βάρβαρος ἦλθεν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα, (62.2): ὕστερον ἰόντων Ἀθηναίων ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας, deinde (62.5): ἐπειδὴ γοῦν ὅ τε Μῆδος ἀπῆλθε ... Ἀθηναίων ὕστερον ἐπιόντων τήν τε ἄλλην Ἑλλάδα ...; Corinthii quoque similiter bellum cum Atheniensibus gerendum conferunt cum bello Persarum (I 69.5): τόν τε γὰρ Μῆδον ... καὶ νῦν τοὺς Ἀθηναίους. Acerrime enim hoc modo in Athenienses invehuntur, qui semper se Graeciam a Persis liberasse gloriari solebant. Omnibus autem his rationibus Atheniensium hostes demonstrare student urbem iniuria imperium quod tum erat obtinere; hac eadem ex sententia a. 431 Lacedaemonii ab Atheniensibus flagitaverunt (I 140.3, 139.3): Λακεδαιμόνιοι βούλονται τὴν εἰρήνην εἶναι, εἴη δ' ἄν, εἰ τοὺς Ἕλληνας αὐτονόμους ἀφεῖτε.

Athenienses e contrario diversitatem, quae fuit inter pristinam societatem et imperium quod tum erat, obtegere conantur. Cum enim ipse Thucydides de societate condita dicat (I 95.1): ἠξίουν αὐτοὺς ἡ γ ε μ ό ν α ς σφῶν γίγνεσθαι et (I 96.1): παραλαβόντες δὲ οἱ Ἀθηναῖοι τὴν ἡ γ ε μ ο ν ί α ν, Hermocratem dicentem faciat (VI 76.3): ἡ γ ε μ ό ν ε ς γὰρ γενόμενοι ἑκόντων τῶν .. Ἰώνων e. q. s., Atheniensium legati pronuntiant (I 76.2): ἀ ρ χ ή ν τε διδομένην ἐδεξάμεθα et (I 75.2): καὶ γὰρ αὐτὴν τήνδε (sc. τὴν ἀ ρ χ ή ν) ἐλάβομεν οὐ βιασάμενοι e. q. s. Simulant igitur urbi statim imperium (ἀρχή) delatum esse. — Deinde Athenienses concedunt se hoc imperium sibi datum promovisse (προαγαγεῖν, I 75.3), nec vero dicunt se sua voluntate vel cupidine regnandi commotos hoc fecisse. Immo contendunt se cum honoris et utilitatis respectu tum timore Persarum hanc ad rem coactos esse (75.3:

ἐξ αὐτοῦ δὲ τοῦ ἔργου κατηναγκάσθημεν τὸ πρῶτον προαγαγεῖν αὐτὴν ἐς τόδε). Cum autem sociis semel in odium venissent et amicitiam Lacedaemoniorum dimisissent, se iam non sine magno ipsorum periculo de imperio potuisse decedere[1]; se hac in re ad suam tantum utilitatem spectasse aperte declarant: πᾶσι δὲ ἀνεπίφθονον τὰ ξυμφέροντα τῶν μεγίστων περὶ κινδύνων εὖ τίθεσθαι. Ita autem argumentantes ipsi concedunt ex iustitiae norma (τὸ δίκαιον) imperium quod tum erat defendi non posse, ex ea igitur Athenienses id iniuria retinuisse.

Euphemus quoque dicens (VI. 82.3): μετὰ τὰ Μηδικὰ . . . ἡγεμόνες καταστάντες οἰκοῦμεν dissimulat societatem postea commutatam esse; et deinde, tamquam nihil novi proferat, tamquam Athenienses statim Persis victis socios subiecerint, pergit: καὶ ὡς τὸ ἀκριβὲς εἰπεῖν οὐδὲ ἀδίκως καταστρεψάμενοι τούς τε Ἴωνας καὶ νησιώτας (cf. 82.3—83.1). Explicans autem, quibus consiliis Athenienses ad imperium maritimum condendum adducti sint, simili ratione utitur atque legati. Dicit enim Athenienses imperium non condidisse nisi timentes, ne ipsi sub Lacedaemoniorum dicionem redigerentur (82.2, 3, 87.2). Qua in re quod Athenienses suam utilitatem secuti sint, neminem posse vituperare (82.3; cf. 85.1). Sed etiam ex iustitiae norma defendi posse, quod Athenienses Jonas atque insulanos subegerint (82.3: οὐδὲ ἀδίκως); hos enim cum barbaro contra urbem genetricem[2]) profectos esse, servitium et ipsos pati et Athe-

---

1) Hoc argumento Pericles quoque (II 63.1 et 2) et Alcibiades (VI 18.3) utuntur.

2) Athenienses constat id egisse, ut omnes civitates subiectae putarentur coloniae esse urbis. Hac enim ex re sequebatur eos non iniuria praeesse sociis; cf. ex. c. Herod. VII 95, Aristoph. Lys. 582, Thuc: I 12.4, Isocr. IV 122, XII 43—44, et vide, quae Wilamowitzius hac de re disseruit (Über die ionische Wanderung, S. A. B. 1906, 70 sq.).

niensibus deferre voluisse (82.4)[1]). Imperii autem constitutionem ex una utilitatis norma describit, quasi diversae urbium condiciones ea re factae sint, quod Athenienses subducta commodi sui ratione edixissent, ut alii socii naves exhiberent, alii tributa solventes subiecti haberentur, alii omnino liberi manerent[2]) (84.3, 85.1—2: καὶ γὰρ τοὺς ἐκεῖ ξυμμάχους ὡς ἕκαστοι χρήσιμοι ἐξηγούμεθα e. q. s.). — Cum ita num Athenienses obtinerent iure imperium quod tum erat disputatum sit, Pericles hanc quaestionem nullo verbo tangit. Existimavit enim oportere Athenienses, cum semel dominationem quocumque modo nacti essent, utique a nullis laboribus iacturisque abhorrentes ut eam servarent contendere (I 144.4, II 63).

Iam supra commemoravimus Atheniensium hostes apud Thucydidem etiam atque etiam repetere imperium Atheniense esse iniustam dominationem, socios servitutem pati. In sociorum autem tributis constabat urbis potentia (I 122.1, 143.5, II 13.2, III 13.5—6, 46.3; cf. Ps.-Xen. Ἀθ. πολ. I 15). Itaque Corinthii novum proferunt convicium dicentes (I 121.5): οἱ μὲν ἐκείνων ξύμμαχοι ἐπὶ δουλείᾳ τῇ αὐτῶν φέροντες. — Eiusmodi opprobriis omnes hi viri rerum publicarum periti scriptoris ex voluntate non tam veram sententiam suam enuntiant[3]), quam ea proferunt, ut Graecorum animos

1) Dilucidum est Euphemum his verbis valde a veritate discedere; multae enim civitates sub Atheniensium imperio erant, quae contra Persas pugnaverant velut Eretria, Chalcis, Styra, Ceos (Herod. VIII. 1), Cythnos, Seriphos, Siphnos, Naxos (Herod. VIII. 46; cf. J. G. Ant. (Roehl) 70 = Ditt. Syll. I², 7). Praeterea Iones paucis annis ante frustra conati erant se a Persarum imperio liberare; tum facere vix poterant, quin expeditioni in Graeciam susceptae interessent.

2) Velut Cercyraei, Cephallenes, Zacynthii. (Classen).

3) Hoc optime docemur duabus Hermocratis orationibus (IV

sibi concilient, omnibus timorem Atheniensium iniciant (I 122.2, 123.1, 124.3, II 8.5, VI 76—77, 80.5), nec in cassum Lacedaemonii se totius Graeciae libertatem vindicare velle praedicaverunt (cf. p. 36). — Praeterea scriptor nusquam adversarios Atheniensium describentes facit horum in socios dominatum, qui tum erat; ne Mytilenaei quidem, tametsi ipsi quoque identidem affirmant omnes socios praeter ipsos et Chios ab Atheniensibus in servitutem ductos esse (III 10.3, 4, 11.3, 13.1), hanc servitutem accuratius enarrant. Imprimis demonstrare volunt[1]) se iure ab Atheniensibus descivisse (10.1—13.1; cf. 10.1: περὶ γὰρ τοῦ δικαίου καὶ ἀρετῆς πρῶτον ... τοὺς λόγους ποιησόμεθα, 12.2: εἴ τῳ δοκοῦμεν ἀδικεῖν, 13.1:

---

59 sq. et VI 76 sq.): Siculis Gelam convocatis hic priorem contionem habet (IV 59—64), qua omnes Siculos commovere studet, ut consilia inter se communicent. Non ignorat hanc ad rem perficiendam plurimum valere periculum omnibus pariter instans. Itaque id spectat, ut omnibus persuadeat Athenienses, cum societatem cum quibusdam Siciliae civitatibus factam causentur, revera totae insulae insidiari (60.1: διαλλακτὰς πολὺ τῶν ἐμῶν λόγων ἀναγκαιοτέρους περὶ τῶνδε Ἀθηναίους νομίσαι sc. χρή), et nunc ius potentioris defendens dicit (IV 61.5): καὶ τοὺς μὲν Ἀθηναίους ταῦτα πλεονεκτεῖν τε καὶ προνοεῖσθαι πολλὴ ξυγγνώμη, καὶ οὐ τοῖς ἄρχειν βουλομένοις μέμφομαι, ἀλλὰ τοῖς ὑπακούειν ἑτοιμοτέροις οὖσιν· πέφυκε γὰρ τὸ ἀνθρώπειον διὰ παντὸς ἄρχειν μὲν τοῦ εἴκοντος, φυλάσσεσθαι δὲ τὸ ἐπιόν. — Altera tamen oratione (VI 76—80) id agit, ut contra Euphemum Atheniensem Camarinae cives adducat, ne cum Atheniensibus res communicent, et ipse scriptor aperte huius orationis propositum indicat verbis (75.4): βουλόμενος προδιαβάλλειν τοὺς Ἀθηναίους. Itaque Hermocrates nunc ipse quoque ex iustitiae ratione convicia illa in urbem facit velut in c. 77.1: τὴν τῶν Ἀθηναίων εὐκατηγόρητον οὖσαν πόλιν ... ἐν εἰδόσιν, ὅσα ἀδικεῖ, et ἔχοντες παραδείγματα τῶν τ' ἐκεῖ Ἑλλήνων ὡς ἐδουλώθησαν, in c. 79.1: (ὅταν μὴ) ὥσπερνῦν τοὺς πέλας ἀδικῶσιν, in c. 80.2: καίτοι κάλλιον ... τοὺς Ἀθηναίους φίλους δὴ ὄντας μὴ ἐᾶσαι ἁμαρτεῖν. — Praeterea confer I 76.1—2 (τὰ ξυμφέροντα λογιζόμενοι τῷ δικαίῳ λόγῳ νῦν χρῆσθε) et Brasidae verba IV 86.6.

1) Mytilenaeos reapse hanc orationem habere non potuisse explanavit Ed. Meyer, Forsch. II, p. 383.

εἰκότως ἐδράσαμεν). Qua in re iis id potissimum obstat, quod in rebus domesticis ipsorum civitatis libertas semper ab Atheniensibus servata est (cf. III 10. 5—6, 36. 2, 46. 5). Ipsi enim enuntiant Athenienses se usos esse paribus (11. 1: ἡμῖν δὲ ἀπὸ τοῦ ἴσου ὁμιλοῦντες), se ab iis et in pace (9. 2: ἐν τῇ εἰρήνῃ τιμώμενοι ὑπ' αὐτῶν) et in bello (12. 1: οἱ μὲν ἡμᾶς ἐν τῷ πολέμῳ δεδιότες ἐθεράπευον) cultos esse; contendunt quidem Athenienses haec non fecisse nisi suae utilitatis causa, sed ad hanc rem demonstrandam eis causas non ita aptas ad persuadendum subiciunt (11. 2—5). Ad defectionem autem dicunt se commotos esse ea re, quod ceterorum sociorum servitium videntes existimassent verisimile esse et ipsos brevi ab Atheniensibus subactum iri (10. 6, 11. 1, 6, 12. 1—3, 13. 1). Nixam enim esse societatem, cum hi sibi tantopere praestarent potentia (11. 1), non amicitia, sed timore atque mutuā suspicione (12. 1). Neque vero nisi inter pares constare posse societatem (11. 1). — Hanc sententiam similiter Themistocles (I 91. 7), Pagondas Boeotus (IV 92. 4), legati qui cum Meliis colloquuntur (V 89, 101) proferunt, nec dubium esse potest, quin ipse scriptor eam comprobaverit; itaque ad ea, quae p. 38 sq. exposuimus, addere possumus Thucydidem existimasse necesse fuisse, cum Athenienses omnes socios potentia longe superarent, societatem commutari in Atheniensium imperium.

Athenienses scriptor nusquam facit negantes se ad suum solum arbitrium imperantes plurimos socios subiectorum loco habere; sed tamen legati, qui apud Peloponnesios contionantur, mirum non esse dicunt, quod Athenienses hoc imperio desistere noluerint (I 76. 2), quoniam in rebus publicis utilitas semper fuerit norma: vanas igitur esse criminationes Lacedaemoniorum (76. 1—2, 77. 6). Praeterea autem legati affirmant ne importune quidem Athenienses hoc imperium administrare.

Docent enim (76. 3): ἐπαινεῖσθαί τε ἄξιοι, οἵτινες χρησάμενοι τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει ὥστε ἑτέρων ἄρχειν δικαιότεροι ἢ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν δύναμιν γένωνται. Qua ex sententia contendunt Athenienses in imperando modeste se gessisse, quod ad probandum afferunt eos eadem iura sociis concedere, quae ipsi adhibeant [1]). Deinde autem significant eos nimis modestos esse; quia enim socios omnino ut pares tractent, hos putare se iniuriam pati, si quocumque modo damna accipiant, quae iis non necessaria videantur. Itaque Athenienses ex ipsa modestia non gratiam eorum, sed odium tulisse, maius quam quod accepissent, si statim omnibus in rebus per vim imperassent (c. 77. 2—4).

Explicant igitur legati studuisse Athenienses sententiam propositam (δικαιότερον ἢ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν δύναμιν γενέσθαι) exsequi, sed eos ex ea nihil nisi maiorem sociorum invidiam cepisse: ergo significant hanc sententiam, quam ipsi antea laudaverunt, rectam non esse, et verisimile mihi videtur eam continere ipsius scriptoris iudicium, quod Athenienses proferentes facit tum, cum ipsi opinari incipiunt id esse aspernandum Nam hanc conclusionem, quam legati nondum aperte enuntiant, perficit Cleon.

Iure, si modo Thucydidem sequimur (cf. p. 26), hic existimabat socios semper necessario inter Atheniensium inimicos esse (III 40. 3: ἐξ ἀνάγκης τε καθεστῶτας αἰεὶ πολεμίους), iure igitur postulabat, ut Athenienses hac ab

1) Thucydides brevissime describens (I 98 sq.), quomodo Atheniensium in socios imperium magis magisque confirmatum sit, non affert Athenienses coegisse socios in urbis iudicia venire; solo hoc loco hanc rem commemorat. Sed cum Ps.-Xenophon aliique hac ratione socios vehementer vexatos esse dicant, Thucydides legatos inducit ex contrario contendentes magnum beneficium esse ab Atheniensibus qua sint clementia sociis concessum, quod cum his iure agant.

re imperium gubernantes proficiscerentur (III 37. 2: ἔχετε τὴν ἀρχὴν ... πρὸς ἐπιβουλεύοντας αὐτοὺς καὶ ἄκοντας ἀρχομένους). Accedebat, quod tum Mytilenaei, liberi socii, sine ulla praesenti causa defecerant, qua re Athenienses valde exacerbati erant (III 36. 2). Nonne hoc planissime ostendere videbatur modestiam, qua Athenienses usque ad id tempus in Mytilenaeos usi erant, nihil conduxisse? Itaque dicit Cleon (III 40. 3): καὶ ἡ ἐπιείκεια πρὸς τοὺς μέλλοντας ἐπιτηδείους καὶ τὸ λοιπὸν ἔσεσθαι μᾶλλον δίδοται ἢ πρὸς τοὺς ὁμοίως τε καὶ οὐδὲν ἧσσον πολεμίους ὑπολειπομένους, et prorsus condemnat Atheniensium in socios consilia (37. 1—2, 39. 5) contendens per vim eis esse imperandum (37. 2): οὐκ ἐξ ὧν ἂν χαρίζησθε βλαπτόμενοι αὐτοὶ ἀκροῶνται ὑμῶν, ἀλλ' ἐκ ὧν ἂν ἰσχύι μᾶλλον ἢ τῇ ἐκείνων εὐνοίᾳ περιγένησθε. Praeterea ut consilium suum de Mytilenaeorum poena commendet, socios nisi exemplo atroci a defectionis studio revocari non posse dicit (40. 3, 39. 7 sq.). — Quam rationem Athenienses postea secuti sunt atrociter punientes civitates, quae deficere conatae erant, velut Toronam et Scionam (Thuc. V 3. 4 et 32), neque eorum hostes cunctati sunt his ex consiliis gravia convicia in imperium Atheniense repetere (cf. Isocr. Paneg. 100, 109, Panath. 63).

Diodoto autem, qui respondet Cleoni, prorsus persuasum est Athenienses vi agentes impedituros non esse socios quin desciscant, immo contraria consecuturos esse (III 44. 3, 45, 46, 48. 2). Liberos socios acriter custodiendos esse existimat, ne cogitatio rebellionis eos subeat (46. 6). — Similes igitur hic sequitur rationes atque antea Pericles pronuntiaverat. Nam hic quoque quamquam sibi persuaserat necessario urbem sociis odio esse (II 64. 5), satis putabat, si Athenienses sociorum res manu tenerent (II 13. 2), si eorum potentia semper tanta esset, ut socii deficere non auderent (I 143. 5: οὐ γὰρ ἡσυχάσουσι μὴ ἱκανῶν ἡμῶν ὄντων ἐπ' αὐτοὺς στρατεύειν).

— Legati autem qui cum Meliis disceptant, similiter iudicant atque Cleon. Contendunt enim etiam Melum expugnandam esse, ne socii putantes Athenienses propter timorem insulam non aggredi, audeant desciscere (V 97). Nam aliarum civitatum in Athenienses odio, non amicitia socios adduci, ut a deficiendi studiis revocentur (c. 95): ὅσον ἡ φιλία μὲν ἀσθενείας, τὸ δὲ μῖσος δυνάμεως παράδειγμα τοῖς ἀρχομένοις δηλούμενον. Qua ex ratione Atheniensibus ceterorum odium, ut ita dicam, petendum erat ut potentiae signum, quo subiecti a defectionis conatu deterrerentur [1].

Et collegerunt Athenienses ardens Graecorum odium ea re, quod in Melios insula expugnata eadem ratione crudeli consuluerunt, qua tum socios, qui fidem mutaverant, punire solebant; quarto etiam saeculo saepe Atheniensium imperio cum Scionae Toronaeque poena tum Meli fortuna crimini data est (Isocr. Paneg. 100/101, 109/110, Panath. 63, 70, 89; cf. Xenoph. Hellen. II 2. 3 et 10).

Restat, ut quaeramus, quid apud Thucydidem de consiliis ad fines imperii propagandos spectantibus disseratur. — Ac primum quidem Pericles etsi diligenter Athenienses monet, ne imperium, dum bellum maneat, amplificare conentur (I 144. 1, 4, II 65. 7), tamen quin ipse quoque semper quam maxime urbis potentiam augere studuerit nemo dubitare potest (Busolt, III^{2}1, p. 443^5). Deinde Athenienses, qui ad Melios missi

---

1) Athenienses, ut Meliis persuadeant eos nihil turpe facturos esse Atheniensibus ut validioribus se subicientes, hanc sententiam afferunt (V 111. 4): ὡς οἵτινες τοῖς μὲν ἴσοις μὴ εἴκουσι, τοῖς δὲ κρείσσοσι καλῶς προσφέρονται, πρὸς δὲ τοὺς ἥσσους μέτριοί εἰσι, πλεῖστ' ἂν ὀρθοῖντο. Nonne permirum est, quod hoc tertium sententiae membrum Athenienses hic pronuntiant, praesertim cum ad Melios monendos nihil attineat? Ipsius scriptoris iudicium in his verbis latere existimo, quod ironice Athenienses ipsos proferentes inducit eo tempore, quo contrarium (cf. c. 116. 4) facturi sunt; cf. p. 46 sq.

sunt, dicunt se Melum occupare velle, quod insula libera sibi periculosa sit (V 99); sed tamen aliis locis enuntiant se cupiditate imperii amplificandi hanc ad expeditionem adductos esse (91. 2: βουλόμενοι ἀπόνως μὲν ὑμῶν ἄρξαι, 97: ἔξω καὶ τοῦ πλεόνων ἄρξαι)[1]. Alcibiades quoque expeditionem in Siciliam faciendam suadens haec duo argumenta coniungit. Nam primum demonstrare studet necesse esse Athenienses hanc expeditionem suscipere, ut imperium quod obtineant servent. Exponit enim fore ut urbs, si plane quiescat, ipsam imperio privetur; itaque ei semper, ne ipsa ab aliis subigatur, id agendum esse, ut potentiam suam augeat confirmetque (VI 18. 1—3, 7). Quamquam igitur non sine causa in universum dicit magnam rem publicam, quae aliis imperet, facere non posse, quin semper aliquid agat atque moliatur[2], falso his ex sententiis communibus efficit Siciliam Atheniensibus esse subiciendam, et ipse se hoc ad consilium revera inexplebili potentiae cupiditate commoveri enuntiat dicens (VI 18. 4): ἵνα . . . τῆς Ἑλλάδος τῶν ἐκεῖ προσγενομένων πάσης τῷ εἰκότι ἄρξωμεν[3].

Adversarii autem Atheniensium apud Thucydidem identidem horum inexplebilem imperii propagandi cupidinem obiurgant magis magisque timorem Atheniensium accendere studentes (I 124. 3, IV 60. 2, 92. 4). Corinthii vero demonstrant Athenienses numquam potentiae augendae studio destituros esse; necessario enim id ex horum natura oriri (I 70. 9: πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν; cf. p. 32. 2).

1) Athenienses iam a. 426 Melum expugnare conati erant; de hac expeditione scriptor dicit (III 91. 2): τοὺς γὰρ Μηλίους ὄντας νησιώτας καὶ οὐκ ἐθέλοντας ὑπακούειν . . . ἐβούλοντο προσαγαγέσθαι.

2) Cf. verba Periclis II 63. 2; etiam Euphemus similia dicit VI 87. 2.

3) Cf. VI 15. 2, 90. 1—3: ἠλπίζομεν . . . καὶ τοῦ ξύμπαντος Ἑλληνικοῦ ἄρξειν. — Aristoph. Equit. 797.

Et profecto plurimi Graeci tum metuebant, ne Athenienses, qua essent potentiae cupiditate, ad suam quoque civitatem subigendam occasione oblata aggrederentur (II 8.5, I 123.1); qui timor expeditione in Siciliam facta vehementer augebatur (VIII 2.1: νομίσαντες κἂν ἐπὶ σφᾶς ἕκαστοι ἐλθεῖν αὐτούς, εἰ τὰ ἐν τῇ Σικελίᾳ κατώρθωσαν).

3. Ne socii quidem tum concinebant in iudiciis de imperio faciendis. Nam cum Athenienses id molirentur, ut ubique populares rerum potirentur paucis prorsus oppressis (Ps.-Xenoph. Ἀθ. πολ. I 14, Thuc. III 47), Lacedaemonii autem contrariam rationem sequerentur (cf. Thuc. I 19, 76.1, 144.2), in urbibus populares imperio Atheniensium favere solebant (Thuc. III 47, 82.1, IV 84.2, 123.2). Sed tamen quo magis Athenienses sociorum libertatem represserunt suamque instituerunt dominationem, eo magis etiam popularium fides labare coepit; belli Peloponnesiaci aetate Athenienses ipsi clare intellexerunt socios omnino infidos esse (Thuc. I 56.2, 75.4, 143.5, III 37.2, 40.3, IV 108.1, V 14.2, VI 91.7, VIII 48.5; Xenoph. Hell. III 5.10); et fuerunt urbes occasione data paratae ad deficiendum (I 58.1, IV 88, 108.2 sq., VIII 2.2)[1]. Optimates vero qui erant inter socios ardenter imperium oderunt; paucorum in numero fuerunt Mytilenaei, quos Thucydides inducit invehentes in Athenienses (cf. III 47.3, 27), Stesimbroti quoque Thasii libellus primis belli Peloponnesiaci temporibus scriptus, cuius titulum Athenaeus (XIII, 589 d) tradit fuisse: περὶ Θεμιστοκλέους καὶ Θουκυδίδου καὶ Περικλέους, natus est ex invidia odioque, quod sociorum optimates in Athenienses tenebant[2]. — Imperium ipsum

1) Accuratius hanc rem tractavit Busolt, III² 1, 541 sq., III 2, 890 sq.

2) Nihil est, quod J. Bruns (Das literarische Portrait der Griechen, 1896, p. 48) opinetur: „Er hat seine Feder in den Dienst der athenischen Aristokraten gestellt“. Nam si hoc verum esset,

in paucis certis libelli fragmentis, quae ad nos pervenerunt (Fragm. hist. Gr. II, 52 sq.), nusquam commemoratur; at tamen dubium esse non potest, quin scriptor gubernatoribus Atheniensium rei publicae velut Themistocli atque Pericli maledicens etiam imperium maritimum increpitaverit.

---

mirum esset, quod scriptor tam amare Cimonem laudat ac fabellas de eius sorore Elpinica fictas narrat; iam Holzapfel (Untersuchungen über die Darstellung der griech. Geschichte, 1879, p. 141 sq.) recte hoc explicavit. Deinde Stesimbrotus de Cimone dicit: δεινότητός τε καὶ στωμυλίας Ἀττικῆς ὅλως ἀπηλλάχθαι (frgm. 3 = Plut. Cim. 4), quae verba scribere vix potuit ex ullorum Atheniensium voluntate. Praeterea ex iis, quae de Sami rebellione refert, cognosci posse puto scriptorem ipsorum sociorum causam defendisse. — Optimates enim Samii, qui ad suum dominatum restituendum insula potiti sunt, antea cum Persis se coniunxerant. Ex navibus Atheniensium Samum profectis nonnullae in Cariam vectae sunt, cum classis Phoenicia ad Samios sublevandos appropinquare putaretur. Obsidione insulae instituta nuntiatum est classem Phoeniciam iam advehi; celeriter Pericles cum 60 navibus Samum relinquens ei obviam Caunum in urbem Cariae profectus est (Thuc. I 115. 2—116, Diod. XII 27). — Stesimbrotus autem refert Periclem Cyprum navigasse: ex peccato igitur, quod Pericles in belli gerendi rationibus in se admisit, facit audacem eius in incertum expeditionem (cf. de Wilamowitz, Hermae XII, 1877, 366). Qua de causa? Inspiciamus totum locum (frgm. 7 = Plut. Pericl. 26. 2): ὁ Περικλῆς . . . ἔπλευσεν εἰς τὸν ἔξω πόντον, ὡς μὲν οἱ πλεῖστοι λέγουσι Φοινισσῶν νεῶν ἐπικούρων τοῖς Σαμίοις προσφερομένων ἀπαντῆσαι καὶ διαγωνίσασθαι πορρωτάτω βουλόμενος, ὡς δὲ Στησίμβροτος ἐπὶ Κύπρον στελλόμενος· ὅπερ οὐ δοκεῖ πιθανὸν εἶναι. Oppositae sunt narrationes plurimorum et Stesimbroti, priore solum comprehenditur illa de navibus Phoeniciis relatio: ergo Stesimbrotus hanc aut omnino silentio texit aut veram esse negavit. Qua re adductus? Ut optimatium Samiorum cum Persis conspirationem reticeret aut infitiaretur. Quod facillime perficere potuit; nam Pericles priusquam illas naves Phoenicias inveniret, infecta re Samum reverterat (Thuc. I 117. 2, Diod. XII 28. 2). Et quis dubitat, quin Samii se tum cum Persis fecisse postea, cum Stesimbrotus libellum suum composuit, quam maxime dissimulare studuerint? Cf. Herod. VI 14. 2 et 3, IX 103. 2, VI 22. 1.

Urbis imperio deleto denuo plane apparebat, quantum odium Athenienses ex eo concepissent. Multae enim civitates Graecae Thebanis Corinthiisque ducibus[1]) tum a Lacedaemoniis victoribus petierunt, ut Athenae prorsus everterentur (Xen. Hell. II 2.19, VI 5.35); una cum imperii Atheniensis ruina Graeciae putabatur appetere dies libertatis (Xen. Hell. II 2.23).

Vehementissime diversae belli Peloponnesiaci partes inter se certaverunt, quid de imperio maritimo existimandum esset, sententias suas hac de re ad privata ipsarum studia rettulerunt. Itaque hac aetate cum plurimi Graeci essent Atheniensium inimici (cf. Thuc. II 8.4, 11.2), iudicium illud longe divulgatum erat, ex quo existimabatur imperium Atheniense iniusta violentaque in Graecos dominatio esse, quae nulla ratione probari posset. — Fama, quam Athenienses bellis Persarum nacti erant, ex qua ab omnibus fere Graecis ut vindices libertatis totius Graeciae laudabantur (cf. ex. c. Pindari frgm. 77 (Schroeder): ὅθι (= ἐν Ἀρτεμισίῳ) παῖδες Ἀθαναίων ἐβάλοντο φαεννὰν κρηπῖδ' ἐλευθερίας), imperio instituto in contrariam mutata erat (cf. ex. c. Thuc. VI 76.4, III 63.3: Ἀθηναίους . . . τοὺς . . καταδουλουμένους τὴν Ἑλλάδα, I 69.1: αἰεὶ ἀποστεροῦντες οὐ μόνον τοὺς ὑπ' ἐκείνων δεδουλωμένους ἐλευθερίας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὑμετέρους ἤδη ξυμμάχους.

Firmissima igitur fuisse putanda est fides, quam Sophocles veteri Athenarum magnificentiae atque virtuti habuit, quippe qui iam in postrema tragoedia sua, Oedipode Coloneo, non solum identidem urbem summis laudibus panegyrici more praedicaret (v. 260 sq., 282 sq.,

1) Thebani igitur et Corinthii tum vehementius quam ipsi socii Athenarum excidium postulabant; constat eos hanc ad rationem non tam animi impetu quam consilio commotos esse timentes, ne Lacedaemonii urbem dicionis suae facerent atque inde ipsorum libertatem in discrimen adducerent.

913 sq., 1006 sq., 1125 sq., 1143 sq.), sed etiam, cum plurimi Graeci odium suum in urbem captum vix explere possent etiam atque etiam contumeliosa in eam convicia proferentes, Oedipum ad Athenas profectum induceret dicentem (v. 107 sq.): ἴτ', ὦ μεγίστης Παλλάδος καλούμεναι πασῶν Ἀθῆναι τιμιωτάτη[1]) πόλις.

Caput III. Quid de imperio iudicatum sit inde ab anno 404 usque ad alterius societatis maritimae ruinam.

1. Imperio dirempto optimates Atheniensium habebant, quod declararent populares urbi perniciem struxisse, falsa fuisse consilia, quae Athenienses usque ad id tempus secuti essent id unum spectantes, ut magnam potentiam adipiscerentur vel servarent, ac sine dubio rebus urbis tum quam maxime angustis dubiisque a multis audiebantur pronis auribus. — Quantopere optimates tum imperium, quod fuerat, improbaverint, cognoscimus ex libello hac aetate ab optimate quodam scripto, quem Aristoteles ad librum suum de Atheniensium re publica adhibuit[2]). Auctor

---

1) C. Burgess (Epideictic literature, 1902, p. 155) diligenter contulit omnia verba adiectiva, quibus poetae Graeci Athenas decoraverunt; unde apparet hoc uno Sophoclis loco urbem ornatam esse verbo τίμιος.

2) Postquam V. de Schoeffer (Bursians Jahresber. 83, 1895, 197 sq.) primus Wilamowitzii hac de re sententiam respuit, multi viri docti eam impugnaverunt. Sed tamen id constare puto Aristotelem in capitibus, quae ad quaestionem nostram attinent, usum esse libello tum ab optimate quodam ad partis studia adiuvanda conscripto. Nam quamquam dubium non est, quin Aristoteles multis in partibus libri sui adhibuerit Atthidem, quamquam verisimillimum est hanc fuisse Atthidem Androtionis illius, qui fuit inter optimates, tamen mea quidem sententia ne Androtion quidem in Atthide tam

non solum detrectat res gestas Themistoclis (Ἀθην. πολ. c. 23, 25. 3—4), Cimonis (c. 26. 1), Periclis (c. 27. 1 sq.: μάλιστα προύτρεψεν τὴν πόλιν ἐπὶ τὴν ναυτικὴν δύναμιν, ἐξ ἧς συνέβη θαρρήσαντας τοὺς πολλοὺς ἅπασαν τὴν πολιτείαν μᾶλλον ἄγειν εἰς αὑτούς), sed etiam Aristidi maledicit simulans hunc imperium instituentem nihil spectasse, nisi ut plus viginti milia civium a sociis alerentur (c. 24), et ab Aristide contendit coepisse eam rei publicae formam, qua vigente Athenienses plurima vitia in se admisissent (41. 2: ἑβδόμη (sc. μετάστασις)... ἣν Ἀριστείδης μὲν ὑπέδειξεν, Ἐφιάλτης δ' ἐπετέλεσεν καταλύσας τὴν Ἀρεοπαγῖτιν βουλήν· ἐν ᾗ πλεῖστα συνέβη τὴν πόλιν διὰ τοὺς δημαγωγοὺς ἁμαρτάνειν διὰ τὴν τῆς θαλάττης ἀρχήν). — Ipsi autem triginta illi viri quo animo fuerint in imperium maritimum bene illustratur narratione, quam Plutarchus tradit (v. Themist. 19): τὸ βῆμα τὸ ἐν Πυκνὶ πεποιημένον ὥστ' ἀποβλέπειν πρὸς τὴν θάλατταν ὕστερον οἱ τριάκοντα πρὸς τὴν χώραν ἀπέστρεψαν οἰόμενοι τὴν μὲν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν γένεσιν εἶναι δημοκρατίας, ὀλιγαρχίᾳ δ' ἧττον δυσχεραίνειν τοὺς γεωργοῦντας[1]).

Populares ex contrario summam nimirum calamitatem ducentes, quod imperio privati erant, tum maxime sentiebant, quam splendide urbs id obtinens floruisset. Ex Andocidis imprimis orationibus eiusmodi sententias percipimus (cf. or. I, a. 399 habitae, § 130: ὅτε ἡ πόλις ἦρχεν τῶν Ἑλλήνων καὶ ηὐδαιμόνει μάλιστα)[2]). Etiam

---

invidiose obtrectare poterat Themistoclem Aristidem Cimonem Periclem, quos viros plurimi Athenienses maxime colebant. — Neque tamen hic locus est, ut accuratius hanc difficilem quaestionem evolvam.

1) Dubium esse non potest, quin haec narratio postea ficta sit; cf. W. Judeich, Topographie von Athen, 1905, 352[8].

2) Cf. etiam Andoc. or. III a. 391 habitae, § 37: γενομένων δὲ τούτων (sc. τῶν τειχῶν καὶ τῶν νεῶν) τὴν ἀρχὴν ἐποιησάμεθα τῶν ἀγαθῶν, or. I 108—109, III 7 (= Aeschin. II 174), 38—40. — De-

Thucydides hac aetate praeclaras illas alteri libri orationes scripsit, quas Periclem habentem facit, tum magis magisque vulgabatur sententia, ex qua Athenae putabantur Periclis aetate ad summum fortunae humanitatisque culmen evasisse (Thuc. II 36, 64.3, 65.5: καὶ ἐγένετο (sc. ἡ πόλις) ἐπ' ἐκείνου μεγίστη)[1]).

Ab urbis autem hostibus et a sociis pristinis quin imperium etiam tum male audierit, dubium non est; sed cum Lacedaemonii continuo suam instituerent dominationem etiam graviorem atque omnibus in odium venirent, paulo leniora coepta sunt iudicia de Atheniensium imperio fieri (Thuc. I 76.4: ἄλλους γ' ἂν οὖν οἰόμεθα τὰ ἡμέτερα λαβόντας δεῖξαι ἂν μάλιστα εἴ τι μετριάζομεν)[2]). Praeterea cum imperium ipsum diremptum inter civitates aliquid valere desiisset, Graecorum iam non tantopere intererat ei maledicere; magis magisque viri solum litteris dediti, philosophi historici rhetores, de imperio iam disserebant[3]).

2. Nova ex parte gloria detracta est imperio: cogitatione enim philosophica Plato aliique commoti sunt, ut imperium damnarent. — In Gorgia enim dialogo Plato inducit Socratem demonstrantem eos, qui rei publicae potentiam amplificent iustitiam modestiamque civium colere neglegentes, in praeceps dare civitatem; qua e sententia Socrates viros, qui Athenarum potentiam creaverant atque auxerant, cum Themistoclem,

---

mosth. or. 3.24—26, 13.26—29, 21.143, 22.12—13, 23.207, Diodor. XII 2.1.

1) Cf. praeterea Isocrat. 7.66, 15.234 et 307, Diod. XII 1.4 sq., Plut. Pericl. c. 12, Aristid. rhet. ὑπὲρ τῶν τεττάρων 150.15 (p. 202 Dindorf).

2) Dubitandum non est, quin Thucydides totam hanc Atheniensium orationem post a. 404 composuerit; cf. etiam I 76.1 et 77.6.

3) At cf. h. op. p. 58.

Miltiadem, Cimonem, tum Periclem acerbe condemnat [1]) quaerens, num hi Athenienses meliores fecerint (cf. 472 a sq., 503 b sq., 515 d—519 d). Omnia autem, quae hi viri ad imperium instituendum confirmandumque perfecerant, nugas esse dicit (φλυαρίαι), quae urbem ad interitum vocaturae sint (519 a) [2]). — Dubitari non potest, quin Plato iam genere nonnihil inductus sit, ut imperium maris, rei publicae popularis fundamentum, improbaret. Sed etiam necessario ex tota eius doctrina sequebatur, ut imperium Atheniense esse condemnandum statueret. Nam cum sibi persuasisset unum rei publicae munus esse iustitiae ceterarumque virtutum postulata ad effectum perducere, et cum prorsus abnueret sophistarum de validioris iure doctrinam, facere non poterat, quin omnes civitates, quae tum erant, improbaret (cf. ex. c. Rei publ. IV 445 c, VI 497 a—b, Politici 297 c, Leg. IV 712 e—713 a, VIII 832 c). His autem ex iudiciis imperium quoque Atheniense ei prorsus damnandum erat [3]); quo accedebat, quod sibi persuaserat potentiam navalem civitati esse calamitati (cf. p. 64 sq.). Quamquam ipsum imperium nec in Republica nec in Politico respexit, cum ipse quoque ut omnes Graeci, qui usque ad illam aetatem disciplinam rei publicae constituendae tractaverant, putaret una urbe necesse esse civitatem contineri.

---

1) Solum Aristidem praedicat (526 b). — In Menone dialogo Plato hoc severum iudicium mitigavit (93 a sq.); cf. H. Raeder, Platons philosoph. Entwicklung, 1905, 134 [3].

2) Platonem hoc loco imprimis spectare ad Polycratis libellum, quo hic rhetor Socratem quasi accusator criminatus est, explicavit A. Gercke (Platons ausgew. Dialoge, erkl. v. H. Sauppe, Bd. III, 1897, p. XLIII sq.).

3) Hoc optime apparet ex his Reipublicae verbis (I 351 b): πόλιν φαίης ἂν ἄδικον εἶναι καὶ ἄλλας πόλεις ἐπιχειρεῖν δουλοῦσθαι ἀδίκως καὶ καταδεδουλῶσθαι, πολλὰς δὲ καὶ ὑφ' ἑαυτῇ ἔχειν δουλωσαμένην; e. q. s.

Antisthenem vero eiusque assectatores, quippe qui existimarent omne opulentiae potentiaeque studium damnosum esse et qui omnino coerceri nollent ulla re publica, plane improbasse imperium Atheniense consentaneum est, et Antisthenes hoc sine dubio pronuntiavit in scripto illo, de quo Athenaeus (V. 220 d) tradit: ὁ δὲ πολιτικὸς αὐτοῦ (sc. Ἀντισθένους) διάλογος ἁπάντων καταδρομὴν περιέχει τῶν Ἀθήνησιν δημαγωγῶν.

3. Populares interea Atheniensium eam aetatem, qua urbs imperium obtinuerat, pulcherrimam ducentes vehementer optabant atque operam dabant optimatibus resistentibus (cf. Aristoph. Eccles. 192), ut pristinam Athenarum magnificentiam potentiamque, quantum fieri posset, restituerent (Xenoph. Hellen. III 5. 10), et quamquam primi eorum conatus pace regia quam vocant ad irritum redigebantur, tamen strenue elaborare minime desinebant, ut alteram societatem maritimam conderent. Prorsus quidem tum studere desistebant pristinam dominationem recuperare; quin potius facere non poterant, quin diligenter pollicerentur se redintegraturos non esse eas rationes, quibus perfectis antea societas commutata erat in imperium (cf. p. 4 sq.). Opportunissime autem consiliis eorum exsequendis obvenit, quod tantum aberat, ut Lacedaemonii promissa solverent, quibus se Graecos liberaturos esse pronuntiaverant, ut ipsi ubique suam dominationem etiam atrociorem Atheniensium constituerent. Itaque celerrime Graecorum gratiam deperdebant [1]), et Athenienses praedicare poterant se Graecorum libertatem a Lacedaemoniis vindicare velle [2]).

1) Thuc. I 76. 1, 4, 77. 6, IV 86. 5; Isocr. 8. 108, 5. 47—49, 148, 12. 104—105, 14. 15, 4. 122, Xenoph. Hell. III 5. 11—13, R. Lac. XIV 4—7, Theopompi com. frgm. 65 (= Plut. Lys. 13), Diod. XIV 82. 2.

2) J. G. II 1, nr. 17. 9 sq.: ὅπως ἂν Λακεδαιμόνιοι ἐῶσι τοὺς Ἕλληνας ἐλευθέρους καὶ αὐτονόμους ἡσυχίαν ἄγειν. — Isocr. 5. 63, 104, 129,

Inter eos qui mature sentiebant, quid viri, qui Athenas tum gubernabant, spectarent, erat Isocrates. Qui cum speraret Athenienses potentiam adeptos consilia sua persecuturos esse atque omnes Graecos amicitia iuncturos esse ad bellum Persis inferendum (Paneg. 3, 15—19, 173), animum induxit omnium mentes libello ad benevolentiam erga nova Athenarum studia conciliare; quam ad rem[1]) Panegyricum conscribere coepit, quem librum multorum annorum labore perpolitum a. 380 edidit. — Cum autem socii pristini haud obliti essent, quot querelas de imperio Atheniensi habuissent neque Atheniensibus non diffiderent[2]), ad eos recuperandos id quoque agendum erat, ut iis persuaderetur imperium Atheniense multo melius fuisse quam existimarent; denuo igitur quaestio illa; quid de imperio esset iudicandum, in rationibus publicis aliquid valuit.

Ex maiorum rebus gestis rhetor efficere studet iure Athenienses et antea principatum obtinuisse et tum eum petere (cf. §§ 20, 100); itaque laudationem rerum gestarum urbis scribit. Qua in re consentaneum est eum proficisci ab illa opinione, ex qua etiam civitatum res referuntur ad virtutum regulas, ex qua postulatur, ut etiam civitates semper iustitiae praecepta sequantur (cf. §§ 52/3, 67, 77, 81, 109). Nam praeterquam quod haec sententia semper in encomiis valuit, Isocrates ipse in aliis orationibus saepe eam probavit[3]). Ex ea igitur

---

8. 67—68, 9. 56, 68, 14. 17, Plat. Menex. 245 a, Dinarch. I 14 (= III 17), Diod. XV 28. 2.

1) Cf. de Wilamowitz, Aristoteles u. Athen, II 380 sq.

2) Demosth. 20. 77, Diod. XV 23. 4. — Optime hoc discimus e tabula, qua Athenienses a. 377 Graecos, ut novae societati se applicarent, adhortati sunt (cf. h. op. p. 4 sq.). — Praeterea rationibus, quas annis 389/8 secutus est Thrasybulus, factum esse puto, ut omnes querimoniae dé imperio habitae reviviscerent.

3) In omnibus enim libellis, in quibus hanc rem tangit, in-

etiam imperium Atheniense laudat vel potius defendit. Nam cum ceteras urbis res gestas praedicans laudationis elocutionem servet (23—99), continuo imperium describere incipiens ea desistit: pro laudatione (ἐγκώμιον) scribit defensionem (ἀπολογία)[1]. Existimabat igitur imperium peius audire quam ut sola laudatione conviciis aperte non refutatis extolli posset. Itaque convincere aggreditur ea, quae etiam tum et sociorum (107, 110/14) et ipsorum Atheniensium (112, 113) optimates, Spartanorum amici, imperio pristino maxime

---

iustam avaritiam (πλεονεξίαν) iure potentioris nixam prorsus improbat (cf. VI 34/9, 59, VIII 17, 31/5, 69, 93, 119/20, XII 48, 185, 86 sq.), cum laudet eos, qui virtutes sequentes sibi commoda comparare studeant (III 1—2: μετ' ἀρετῆς πλεονεκτεῖν, XV 275, 281/4; cf. IV 184). Inducit quidem in Panathenaico discipulum avaritiam (πλεονεξίαν) defendentem (§ 243 sq., 261: κατὰ τὴν δόξαν τὴν τῶν πολλῶν), sed hoc quoque loco ipse sine dubio probat: τὸν λογισμὸν τῶν πειρωμένων στοχάζεσθαι τῆς ἀληθείας (261). Platonem tamen impugnans in XII 117 118 exponit, si nihil sit medium, melius esse facere iniurias quam pati. — Cf. F. Dümmler, Kl. Schriften I, 79/81, P. Wendland, Beiträge zur athen. Politik u. Publicistik d. 4. Jahrh., N. G. G. 1910, 169, 175 sq., W. Nestle, Philol. 70, 1911, 16/18 et 44.

1) § 100: μέχρι μὲν οὖν τούτων οἶδ' ὅτι πάντες ἂν ὁμολογήσειαν . . . ., μετὰ δὲ ταῦτ' ἤδη τινὲς ἡμῶν κατηγοροῦσιν, ὡς ἐπειδὴ τὴν ἀρχὴν τῆς θαλάττης παρελάβομεν, πολλῶν κακῶν αἴτιοι τοῖς Ἕλλησι κατέστημεν e. q. s. Dubitari non potest, quin scriptor sibi conscius fuerit se hac re orationis genus immutare; ipse enim eadem in re Polycratem vituperat (XI 4—5), ipse improbat (X 14/15): φησὶ μὲν γὰρ ἐγκώμιον γεγραφέναι περὶ αὐτῆς, τυγχάνει δ' ἀπολογίαν εἰρηκὼς . ., ἔστι δ' οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν οὐδὲ περὶ τῶν αὐτῶν ὁ λόγος, ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον· ἀπολογεῖσθαι μὲν γὰρ προσήκει περὶ τῶν ἀδικεῖν αἰτίαν ἐχόντων, ἐπαινεῖν δὲ τοὺς ἐπ' ἀγαθῷ τινι διαφέροντας. — Cf. praeterea Dionys. Halic. ep. ad. Pomp. 751. 8 (Reiske): νομίζω δεῖν, ὅταν μὲν ἔπαινον προέληται γράφειν τις πράγματος . . . ., τὰς ἀρετὰς αὐτοῦ καὶ οὐ τὰ ἀτυχήματα . . . προφέρειν, Hermogen. (Spengel, rhet. Graec. II, p. 11 sq.): τὸ δὲ ἐγκώμιον ψιλὴν ἀρετῆς ἔχει μαρτυρίαν, Nicol. Sophist. (Spengel, III, p. 478), Quintil. III 7. 6; totam hanc doctrinam tractavit C. Burgess, l. c., 118.

obicere solebant[1]): Athenienses imperantes Melum atque Scionam evertisse (100, 109, 110), ubique ut populares rerum potirentur curasse (105—106), cleruchiis missis suam solum avaritiam explesse (107), socios in iudicia urbis venire coegisse (113). — Ex ipso igitur Panegyrico optime discimus eadem fere crimina, quae antea imperio obici solebant, etiam tum viguisse.

Refellens autem haec convicia Isocrates minime haesitat res gestas audaciter depravare (101—102, 107—109)[2]) et exornare (105, 107). Ex ea praeterea re om-

1) Wilamowitzius (Aristoteles u. Athen, I 177, II 388 sq.) putat Isocratem impugnare unum libellum contumeliosum ab optimate quodam Ionico, cuius patria antea ab Atheniensibus subiecta fuerit, in urbem conscriptum; sed praeterquam quod verba § 111: τῶν Εἱλώτων ἑνί mea quidem sententia sine dubio ad Lysandrum pertinent, sive hic revera fuit μόθαξ sive non fuit (cf. Börner, De rebus a Graecis 410—403 gestis, Diss. Gott. 1894, 73, Ed. Meyer, V, 372), nil est quod opinemur Isocratem libellum impugnare, in quo haec convicia fuerint conscripta (cf. Blaß, Att. Beredsamkeit III²2, 1898, 379). — Wilamowitzius ipse concedit: „Isokrates kann also von dem Vorwurfe nicht freigesprochen werden, daß er die Person, die er angreift, von der ganzen Lakonistenpartei, die er eigentlich meint, nicht scharf gesondert hat. Er schließt sogar in einzelnen Wendungen die Athener mit ein, indem er in der ersten Person des Pluralis redet“.

2) Simulat, ut exemplum afferam, et Melios fuisse inter socios Atheniensium (101/102): μήθ' οἷόν τ' ἐστὶ τοσούτων πόλεων τὸ πλῆθος κρατεῖν ἢν μή τις κολάζῃ τοὺς ἐξαμαρτάνοντας. (Ad totam hanc sententiam confer Thuc. I 76. 1 et 4, 77. 2). — Maxime mirum est, quod §§ 107/109 audet contendere atque demonstrare Athenienses numquam Euboea potiri conatos esse (cf. Thuc. I 114, VI 76. 2, 84. 2, Aristoph. Nub. 211 sq. — Andoc. III 9 dicit: εἴχομεν . . . Εὐβοίας πλέον ἢ τὰ δύο μέρη; cf. Ed. Meyer IV, 16 sq.). Eum ad hanc rudem rerum depravationem commotum esse puto ea re, quod insulam alteri societati condendae conciliare studebat: reapse Euboea huic foederi se applicavit (Meyer V, 387 et 395). Et tum (a. 380) ea ab Atheniensibus non tenebatur; iam a. 411 ab iis desciverat,

nes intellegere posse contendit Athenienses optime imperium administrasse, quod urbes sub eo bene se habuerint (103). Hanc enim imaginem imperii depingit omnibus argumentis coniunctis: Athenienses quia bello Persarum omnibus Graecis virtute praestiterant atque totius Graeciae salutem suis commodis praetulerant, a ceteris voluntariis maris imperium acceperunt (71--72, 73, 75, 86—99). Paribus legibus omnes urbes administraverunt, ne earum concordiam disturbarent, de iis consuluerunt non ut domini, sed ut societatis gubernatores (συμμαχικῶς); nam cum ipsi summae rerum praeessent, urbes in rebus domesticis liberas esse siverunt (104). Quia autem iniustissimum esse existimaverunt totam civitatem totumque populum a paucis viris regi, eodem modo constituerunt sociorum res publicas atque ipsa urbs constituta erat prospicientes, ut omnes civitates a popularibus tenerentur (105—106). Colonias (κληρουχίας) non miserunt nisi in oppida deserta ad ea custodienda (107), neque tamen avidi fuerunt agrorum aliarum civitatum (107, 110). Solos eos acerbe punierunt, qui urbi bellum intulerant (101). Si tamen iniuriae quaedam evenerunt, eiusmodi fuerunt, ut facile uno decreto tolli potuerint (114; constat Isocratem his verbis ad societatem condendam spectare). — Multa autem emolumenta socii perceperunt ex imperio; nam ita Atheniensibus imperantibus opulentia et urbium et earum civium maxime aucta est (103), socii a Persis (106, 117—120) et a pi-

---

et quamquam a. 395 in Atheniensium Boeotorumque partes transierat, tamen circiter 388 in Lacedaemoniorum dominationem redacta erat (Meyer V 232 sq. et 299). Isocrates igitur ex eo, quod tum Euboea ab Atheniensibus non tenebatur, fingit hos numquam insulam petivisse, immo vero hos ipsos voluisse eam esse liberam, quamquam facile ea potiri potuerint.

ratis (115) tuti fuerunt, perpetua et interna et externa usi sunt pace (106). Et per septuaginta annos[1]) hic prosper status mansit (106). Iniuria igitur socii imperium Atheniense indignati sunt (123), immo decet eos Atheniensibus pro omnibus his rebus magnam habere gratiam (107, 122).

Iam quinto saeculo Atheniensibus obiecta esse, quae Isocrates refutare studet, modo commemoravi. Sed primus Isocrates haec convicia ex iustitiae norma refellere conatur[2]), et maxime mirum est, quod primus affert emolumenta illa, quibus socii universe sine dubio usi sunt, praeterquam quod apud Plutarchum Pericles breviter commemorat (v. Pericl. XII): ὅτι χρημάτων μὲν οὐκ ὀφείλουσι τοῖς συμμάχοις λόγον προπολεμοῦντες αὐτῶν καὶ τοὺς βαρβάρους ἀνείργοντες. Sociorum autem divitias sub imperio auctas esse ne Pericles quidem illo loco contendit, cum saepe quinto saeculo e contrario Athenienses urbium opes exhaurire ostentetur, a Ps.-Xenophonte, Aristophane, Eupoli (cf. indic. rer.).

Valde autem Isocrates apologiam suam adiuvat ea re, quod imagini imperii Atheniensis quasi marginem quendam circumdat descriptionem dominatus a Lacedaemoniis postea instituti (102, 104—105), quod demonstrat Persas, ex quo imperium diremptum sit, maximam auctoritatem atque potentiam adeptos esse, res Graecorum perturbatas infestasque esse (115—128). Quodsi Graeci, cum imperium eversum esset, exsultantes opinati sunt

---

1) Isocrates in 12. 56 numerat: πέντε καὶ ἑξήκοντα (sc. ἔτη) συνεχῶς κατέσχομεν τὴν ἀρχήν. Varie posteri spatium imperii finierunt: cf. Demosthenes ausgewählte Reden, erkl. von Rehdantz u. Blaß, I 1, 9. Aufl. von K. Fuhr, p. 2.

2) Supervacaneum esse puto demonstrare, quemadmodum argumenta, quibus hanc ad rem utitur, a veritate discedant. Rhetor nimirum id spectat, ut omnia Atheniensium vitia aut reticeat aut in bonam partem convertat.

hac re libertatem suam restitutam esse (Xen. Hell. II. 2.23: ἐκείνην τὴν ἡμέραν τῇ Ἑλλάδι ἄρχειν τῆς ἐλευθερίας), Isocrates huic sententiae opponit verba (119): ἅμα γὰρ ἡμεῖς τε τῆς ἀρχῆς ἀπεστερούμεθα καὶ τοῖς Ἕλλησιν ἀρχὴ τῶν κακῶν ἐγίγνετο.

Luce clarius est rhetorem imperium Atheniense in Panegyrico describentem haudquaquam veram suam de eo sententiam aperire; sibi proposuit laudationem urbis, et cum ad principalem libelli finem plurimum interesset imperium maritimum praedicari, id quoque celebrare studuit. Fuerintne inter Athenienses vel ceteros Graecos, qui huic laudationi fidem haberent atque sibi persuaderent gubernasse Athenienses ita imperium, dicere non possumus. Praeter Panathenaicum hic libellus omnino unus est, in quo ita ex iustitiae ratione imperium defenditur. Id quidem, ut supra commemoravimus, constat plurimos Graecos nondum oblitos esse, quomodo Athenienses revera sociis imperassent.

Isocrates ideo potissimum spectavit, ut altera societas maritima conderetur, quod speravit consilia sua, e quibus suadebat et bellum Persis inferendum et concordiam inter omnes Graecos constituendam (3, 15—19, 173) Atheniensibus ducibus (17—18, 20, 99, 122; at cf. 129, 185, 188) perfectum iri. Itaque ubi primum hac spe deiectus intellexit Athenienses non pares esse rationibus suis exsequendis, validiorem propugnatorem quaesivit, et ad Iasonem Pheraeum [1]), deinde, anno fere 369 [2]), ad Dionysium I se convertit. Cum autem putaret scriptoris esse res gestas ad proposita sua consequenda ex libidine conformare (4.8—12, 11.4, 12.36, 74, 123, 172, 239, 241, 246, 252, 13.12), statim ex hac ab Atheniensibus aliena-

1) Cf. P. Wendland, Beiträge zur athenischen Politik u. Publicistik des 4. Jahrh., N. G. G. 1910, 128.

2) Cf. Blaß, Att. Beredsamkeit, II², 1892, 296.

tione effectum est, ut iudicia sua de imperio Atheniensi immutaret. In Euagora quidem libello non multo post Euagorae mortem (374) composito hoc nondum apparet (§ 56: ἡ δὲ πόλις ἡμῶν τῆς τε παλαιᾶς δόξης μέρος τι πάλιν ἀνέλαβε καὶ τῶν συμμάχων ἡγεμὼν κατέστη; cf. et § 68) nec apparere potuit, cum auctor sibi proposuisset, ut Euagoram, Cononis amicum atque adiutorem, laudaret (cf. 52/57). Sed in Plataico anno 373 confecto quamquam etiam atque etiam Atheniensium virtutes a Plataeensibus praedicantur (§§ 1, 17—18, 22, 39, 52—53), tamen iam significatur imperium Atheniense iniustam fuisse dominationem (39—40)[1]).

4. Nonnullis annis post altera societas maritima miserrime infracta est; frustra Athenienses per tres annos enixi sunt, ut urbes per vim in societatem redigerent. Omnibus igitur Atheniensium studiis potentiae nihil perfectum esse videbatur, nisi ut urbs omnibus rebus perturbata esset aerario prorsus exhausto, ut mores civium admodum essent corrupti. Probata esse videbatur illa philosophorum sententia, e qua contendebatur ipsum potentiae augendae studium damnosum esse; ei autem Athenienses plane indulgere coeperunt, ex quo copias navales sibi comparaverant et imperium illud condiderant: concludendum igitur erat eum fontem fuisse omnium malorum urbis. Ita etiam pristini imperii imago obscurata est ea re, quod altera quoque societas maritima urbem praecipitaverat.

Tum[2]) Plato in Legibus plane demonstravit ipsum mare Atheniensibus fuisse perniciosum (706 a—707 b).

---

1) Sententiae igitur libelli περὶ εἰρήνης (cf. p. 66 sq.) iam significantur; cf. ad hunc Plataici locum (39—40) περὶ εἰρ. § 116.

2) H. Raeder (l. c., 396 sq.) existimat Leges maximam partem annis demum 357/4 Dione Syracusis regnante conscriptas esse; et profecto hunc quidem locum belli socialis temporibus conceptum esse verisimillimum esse puto.

Necesse enim esse in re publica, cuius potentia in copiis navalibus posita esset, et homines obscuros humilesque maximam adipisci auctoritatem (707 a—b; cf. Ps.-Xenoph. I 2—9, Isocr. XII 115—117), et viros proelia navalia facere consuetos fortitudine privari (706 c—707 a; cf. Plut. Themist. 4)[1]. Itaque impugnat gloriam pugnae ad Salamina commissae, nam victoriis navalibus ad Salamina et ad Artemisium partis id solum perfectum esse, ut patria servaretur, quod per se parvi esset momenti; ceterum iis Graecos deteriores factos esse (οὐ βελτίους, ἵν' οὕτως λέγωμεν). Victorias autem terrestres ad Marathona et ad Plataeas partas et Graeciam servasse et ad Graecos meliores faciendos aliquid contulisse (707 b—d). Praeterea valde monet (704 b sq.), ne urbs condenda nimis prope oram maris exstruatur: πρόσοικος γὰρ θάλαττα χώρᾳ . . . . ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν γειτόνημα (705 a).

Atque etiam I s o c r a t e s tum similia de imperio maritimo iudicia protulit. — Iam diu sperare desierat Athenienses consilia sua perfecturos esse; immo ex alterius societatis fortunis sine dubio cognoverat Athenienses, si imperium maris recuperarent, concordiae omnium Graecorum offecturos esse (cf. p. 90). Praeterea

1) Similiter Isocrates dicit (8. 77): ἀντὶ δὲ τοῦ νικᾶν τοὺς ἐπιστρατεύοντας οὕτω τοὺς πολίτας ἐπαίδευσεν (sc. ἡ δύναμις αὕτη), ὥστε μηδὲ πρὸ τῶν τειχῶν τολμᾶν ἐπεξιέναι τοῖς πολεμίοις. Apertum est haec verba ad Periclis de bello gerendo consilia spectare, et cum ipse Plato in Gorgia de Pericle dicat (515 e): ἀκούω Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναίους ἀργοὺς καὶ δ ε ι λ ο ὺ ς καὶ λάλους e. q. s., conicias sententiam, ex qua affirmabatur cives rei publicae, quae imperium maritimum teneret, ad ignaviam adduci, ortam esse prima belli Peloponnesiaci tempestate, cum Pericles impediret Athenienses, ne Lacedaemoniis Atticam populantibus obsisterent. Tum enim Pericli ignaviam obiectam esse tradunt Thucydides (II 21. 3) et Plutarchus (v. Pericl. 33), qui et Hermippi comici hac de re fragmentum affert (= frgm. 46, Kock); cf. etiam Aristid. ὑπὲρ τῶν τεττάρων, p. 140. 5 (Dindorf).

tum intellegebat civitatem omnino conturbatam corruptamque esse (VIII 12—14, 19—20, 29, 36, 38, 41—56, 69, 124—131). Itaque tum[1]) novas rationes suas Symmachico pronuntiavit.

Affirmat enim unum salutis portum restare, ut Athenienses ad statum pace regia adductum revertantur (16, 20), prorsus potentiae studio desistant (17, 20, 63—64, 70, 116—120), diligenter atque modeste pacem colentes civitatem recreare conentur (19—24, 26). Quae ut demonstret permultas Socraticorum sententias suas facit[2]) proponens rei publicae fortunam niti non potentia, sed iustitia, modestia, ceteris virtutibus (7, 17, 20—24, 26, 30—35, 58, 63—64, 93, 116—120, 135—144) neque iustum esse validiores imperare infirmioribus (69).

---

1) Plurimi viri docti existimaverunt hunc librum belli socialis temporibus compositum esse et in eo solum dissenserunt, qua huius belli tempestate libellus scriptus esset (cf. A. Schäfer, Demosthenes u. seine Zeit, I², 1885, 188 sq., F. Blaß, l. c. II², 299 sq.). E contrario Ed. Meyer contendit (Gesch. V, p. 493 annot., 494) eum pace iam constituta conscriptum esse: „aber in Wirklichkeit setzt sie den Abschluß (sc. des Friedens) voraus und diskutiert ausschließlich das Programm der zukünftigen Politik". Et insunt in libello, quae ad hanc sententiam confirmandam afferri possint. Ut exempla afferam, ex verbis §§ 15/16: οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἔσται τῶν νῦν περὶ τῆς εἰρήνης γνωσθέντων, ἢν μὴ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ὀρθῶς βουλευσώμεθα. Φημὶ δ' οὖν χρῆναι ποιεῖσθαι τὴν εἰρήνην μὴ μόνον πρὸς Χίους καὶ Ῥοδίους καὶ Βυζαντίους, ἀλλὰ πρὸς ἅπαντας ἀνθρώπους concludat quis pacem illam cum Chiis Rhodiis Byzantiis iam convenisse; ex § 25: ἡγοῦμαι δὲ δεῖν ἡμᾶς οὐ μόνον ψηφισαμένους τὴν εἰρήνην . . . ἀπελθεῖν, ἀλλὰ καὶ βουλευσαμένους, ὅπως ἄξομεν αὐτήν et ex § 71: ποιοῦμαι τοὺς λόγους . . . ἐπιθυμῶν . . . τὴν εἰρήνην, περὶ ἧς ἅπας ὁ λόγος ἐστί, βεβαίως καὶ τὴν πόλιν καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας ἀγαγεῖν efficias ipsam pacem iam esse factam, praesertim cum de eius condicionibus scriptor nihil usquam dicat. — At accuratiore opus est explicatione, ut certo diiudicetur haec quaestio.

2) Cf. H. Gomperz, Isokrates u. die Sokratik, Wiener Studien 27, 1905, 200 sq.

Et cum id potissimum agat, ut Athenienses, ne imperium maris conentur recuperare, deterreat, his sententiis nisus explicat necessario ex imperii natura effici, ut civitas, quae id teneat, evertatur (94, 103—104); et ex Athenarum et ex Lacedaemonis fortunis hoc cognosci posse (95). Itaque Isocrates nunc ipse quoque contendit imperium maritimum stirpem fuisse omnium calamitatum urbis (64, 70, 74, 77, 94, 103/106)[1]), nunc similia in im-

---

1) Isocrates quamquam his locis demonstrat ex imperio necessario mala illa orta esse, tamen ut Plato Themistoclem ceterosque imperii auctores a plurimis civibus maxime cultos condemnare non audet. Itaque fingit ex horum virorum moribus cognosci posse, qualis fuerit civitatis status, priusquam urbs imperium adepta sit (74 – 75). Maiores illius aetatis tam iuste, liberaliter, innocenter se gessisse, ut Graeci sua sponte iis principatum deferrent (30, 42, 69, 76). Neque tamen dicit maiores, quia eum acceperint, auctores esse imperii, auctores igitur calamitatum (94: τὴν καλουμένην μὲν ἀρχήν, οὖσαν δὲ συμφοράν. — Plato dicit in Gorg. 519 a: Θεμιστοκλέα δὲ καὶ Κίμωνα καὶ Περικλέα ἐγκωμιάσουσι, τοὺς αἰτίους τῶν κακῶν), quamquam Lacedaemoniorum imperium tractans ipse docet (101): χρὴ δὲ τὰς αἰτίας ἐπιφέρειν οὐ τοῖς κακοῖς τοῖς ἐπιγιγνομένοις, ἀλλὰ τοῖς πρώτοις τῶν ἁμαρτημάτων e. q. s. Posteros demum dicit tyrannice imperantes causas malorum intulisse (91). Semper enim rhetor vitat, ne maiores, qui belli Persarum temporibus fuerunt, ullo modo reprehendat (41/42; in § 126 etiam Periclem laudat), et acriter distinguit (37): τίσιν ἡμᾶς τῶν προγεγενημένων κελεύουσιν ὁμοίους γίγνεσθαι, πότερα τοῖς περὶ τὰ Περσικὰ γενομένοις ἢ τοῖς πρὸ τοῦ πολέμου τοῦ Δεκελεικοῦ τὴν πόλιν διοικήσασιν. — Mirum non est, quod ei, qui improbaverunt imperium, dubitaverunt etiam omnes illos viros condemnare, qui id condiderant confirmaverantque. Plato quidem hos praeter Aristidem prorsus damnavit, auctor Aristotelis huius quoque laudem detrectavit (cf. p. 54). Theophrastus autem dicens Aristidem in rebus domesticis iustissimum se praestitisse, in rebus externis ad commoda urbis spectantem ab iniuriis non abhorruisse (Plut. Arist. 25), studuit gloriam iustitiae Aristidis coniungere cum ea re, quod hic imperium illud iniustum instituisset (ἐκέλευε τοὺς Ἀθηναίους τὴν ἐπιορκίαν τρέψαντας εἰς αὐτὸν ᾗ συμφέρει χρῆσθαι τοῖς πράγμασιν).

perium convicia asciscit atque ipse in Panegyrico refutavit [1]).

Nam posteros dicit a moribus maiorum, qui propter iustitiam abstinentiamque [2]) a Graecis ultro offerentibus imperium accepissent (30, 42, 69, 76), prorsus recessisse (64, 69, 77, 91, 104, 121) [3]); crudeliter enim (92) et tyrannice eos sociis imperasse (91): οὐκ ἄρχειν, ἀλλὰ τυραννεῖν ἐπεθύμησαν, ἃ δοκεῖ μὲν τὴν αὐτὴν ἔχειν δύναμιν, πλεῖστον δ' ἀλλήλων κεχώρισται. Deinde accurate exponit, quatenus verbi τυραννεῖν vis differat a verbi ἄρχειν: τῶν μὲν γὰρ ἀρχόντων ἔργον ἐστὶ τοὺς ἀρχομένους ταῖς αὑτῶν ἐπιμελείαις ποιεῖν εὐδαιμονεστέρους, τοῖς δὲ τυράννοις ἔθος καθέστηκε τοῖς τῶν ἄλλων πόνοις καὶ κακοῖς αὑτοῖς ἡδονὰς παρασκευάζειν. — Planum est Isocratem hoc loco eam verbi τύραννος significationem adhibere, quam primus Plato ei attribuit [4]): idem igitur convicium, quod inde ab aetate

---

1) Similiter nunc Lacedaemoniorum imperium, quod a. 365 in Archidamo qui inscriptus est libello laudaverat (6. 54—55, 64—69, 93—94), prorsus condemnat (8. 95—105; imprimis compara 6. 110 cum 8. 106).

2) § 30: ἐκ δὲ τοῦ δικαίαν τὴν πόλιν παρέχειν καὶ βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις καὶ μὴ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν παρ' ἑκόντων τῶν Ἑλλήνων τὴν ἡγεμονίαν ἐλάβομεν. In Panegyrico praecipue ostendit maiores propter virtutes militares principatum adeptos esse (4. 71—72)! Cuius diversitatis ratio facilis est intellectu ex duarum orationum propositis.

3) De Periclis aetate dicit (126): παραλαβὼν τὴν πόλιν χεῖρον μὲν φρονοῦσαν ἢ πρὶν κατασχεῖν τὴν ἀρχήν, ἔτι δ' ἀνεκτῶς πολιτευομένην; existimasse videtur Athenienses circiter 415 ad fastigium superbiae improbitatisque pervenisse: cf. 37, 75, 84—85.

4) Cf. p. 9. — Plato de tyranno dicit (Rei publ. VIII 568 e): ὅτι ὁ δῆμος ὁ γεννήσας τὸν τύραννον θρέψει αὐτόν τε καὶ ἑταίρους et (569 a): ἵνα . . . αὐτὸς (sc. ὁ δῆμος) δουλεύων τοῖς αὐτοῦ δούλοις τρέφοι ἐκεῖνόν (sc. τὸν τύραννον) τε καὶ τοὺς δούλους μετὰ συγκλύδων ἄλλων. Cf. Polit. 301 b sq. et Zeller, l. c., 1141 sq. — H. Sill (Untersuchungen über die platonischen Briefe, I, Diss., Halle, 1901, p. 12 et 26. 1) contendit Isocratem retinuisse veterem verbi τύραννος significationem; et plurimis locis, quibus scriptor verba τύραννος, τυραννίς, τυραννέω,

Thucydidis, Melesiae filii, saepe Atheniensibus factum erat, tum multo maiorem habuit vim; si iam Periclis temporibus haec nova significatio verbo imposita esset, hic nullo modo dixisset imperium Atheniense esse tyrannida [1]). — Ineptum autem esse scriptor affirmat Athenienses, quippe qui ipsi oderint tyrannos, petere imperium, quod a tyrannide nihil distet (114—115).

Praeterea cleruchias pristini imperii temporibus missas vituperat demonstrans Athenienses optimos aliarum urbium cives expulisse horumque agros perditissimis Graecorum assignasse (79, 92). Etiam sociorum tributa dicit iniuria in urbem redisse (82—83). Inexplebili autem potentiae amplificandae cupidini Athenienses indulsisse (84 sq.), cum alia tum πολυπραγμοσύνην (30, 108), ἄνοιαν (81, 85, 121), ἀφροσύνην (85), ἀκολασίαν (77), ἀσέλγειαν (79), timiditatem (77) maioribus qui tum erant obicit affirmans (81): τὰ μὲν πικρότατα και μάλιστ' ἂν ὑμᾶς λυπήσαντα παραλείψω. Et cum in Panegyrico dixerit oportere socios Atheniensibus magnam habere gratiam pro fructibus ex imperio perceptis (cf. 4. 107, 122—123; similia dicit in 12. 69), nunc contendit iure et ceteros Graecos et socios odisse Athenas (78 sq., 82, 105): οὐ γὰρ ὑπάρχοντες ἀλλ' ἀμυνόμενοι καὶ πολλὰ καὶ δεινὰ παθόντες τοιαύτην γνώμην ἔσχον περὶ ἡμᾶς [2]).

τυραννικός usurpavit, ita se habet res. (Locos invenies in Indice Isocrateo a S. Preuß edito). Sed tamen Isocrates et hoc Symmachici loco et in 5. 154, nisi fallor, nova verbi notione usus est. — Ex ea re, quod in Areopagitici § 26 vetus, in Symmachici § 91 nova verbi significatio adhibita est, concludi posse putaveram Areopagiticum prius scriptum esse Symmachico: sed rhetor in Panathenaici § 147 atque in epistulae VII § 3 (et 6), quae scripta sine dubio post Symmachicum composita sunt, denuo vetere verbi significatione usus est.

1) Imperium fuisse tyrannida Isocrates hoc loco (VIII 91) excepto affert in VIII 114/15, 142; cf. IV 80.

2) Rhetorem tam plane iudicia sua immutare mirum non est (cf. p. 63 sq.). Comparanda sunt, quae de imperio dicit:

Isocrates eadem aetate [1]), qua Symmachicum scripsit, altero libello, Areopagitico, nova de re publica

Symmach. 84: εἰς τοῦτο γὰρ κατέστησαν τῶν μὲν οἰκείων ἀμελίας, τῶν δ' ἀλλοτρίων ἐπιθυμίας.	Panegyr. 110: . . . τοσαύτην πίστιν δεδωκότων (sc. ἡμῶν) ὑπὲρ τοῦ μὴ τῶν ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν.
91: οἱ γενόμενοι μετ' ἐκείνους (= τοὺς περὶ τὰ Περσικὰ γενομένους) οὐκ ἄρχειν ἀλλὰ τυραννεῖν ἐπεθύμησαν.	104: συμμαχικῶς ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς βουλευόμενοι περὶ αὐτῶν; cf. Panath. 54, 56.

De pace regia dicit:

Symm. 16: τούτων (sc. τῶν συνθηκῶν) γὰρ οὔτε δικαιοτέρας εὑρήσομεν οὔτε μᾶλλον τῇ πόλει συμφερούσας.	Panath. 106: τοιαύτην ἐποιήσαντο τὴν εἰρήνην, ἧς οὐδεὶς ἂν ἐπιδείξειεν οὔτ' αἰσχίω πώποτε γενομένην οὔτ' ἐπονειδιστοτέραν οὔτ' ὀλιγωροτέραν τῶν Ἑλλήνων; cf. Paneg. 175 et 177.

Similiter in aliis libellis aliter diiudicat, qui fuerint huius pacis auctores: cf. Wendland, l. c., 146.

1) Ex §§ 81, 8—10, 29 certa tempora constant, post quae Areopagiticus confectus est. Sed cum Blassius, (l. c. II^2, 305), K. Münscher (Ausgewählte Reden d. Isokrates, 1908, 133 sq.) aliique existiment hunc libellum pace cum sociis facta scriptum esse, Ed. Meyer (Gesch. V, p. 493 annot., 494) contendit eum compositum esse, postquam Chares victoriam illam tulerit atque ex Atheniensibus litteras miserit (§ 81), sed ante pacem constitutam. Münscher (p. 135. 1) huic sententiae opponit urbem secundum § 1 pace frui. Neque tamen opus est ex verbis § 1: [ὥσπερ τῆς πόλεως οὐκ] εἰρήνην . . καὶ τὰ περὶ τὴν χώραν ἀγούσης, καὶ τῶν κατὰ θάλατταν ἀρχούσης efficere pacem esse factam; scriptor dicit cives leves putare Atticam tutam esse a bello et Athenienses res maritimas manu tenere. (Verbum ἡ χώρα oppositum verbo πόλις significat Atticam in Xenoph. Memor. III. 6. 13, Demosth. 18. 184; cf. etiam Plat. Leg. V, 745 c, Aristotel. Polit. VI 4, 1319 a, 32 sq., Isocr. V. 2.). — Praeterea si sumimus orationem scriptam esse paulo post tristem pacem illam, concedendum est mirum esse, quod Athenienses tum tantopere exsultabant (1—3, 9—10). At tamen vix probari posse puto Isocratem illa de rei publicae statu commutando consilia, quae Areopagitico profert, belli temporibus enuntiasse.

constituenda consilia explicavit; nam Areopagi potestas ut restituatur hoc libello suadet. Cum autem Areopagus etiam ea aetate auctoritate valuisset atque civitatem moderatus esset, qua imperium maritimum conditum munitumque erat, ipsum imperium scriptor hoc libro vituperare non poterat, nisi res gestas plane depravare in animum induxisset. — Itaque tum non dixit ex ipso imperio omnia mala fluxisse, sed eorum causam esse confirmavit potestatem Areopagi minutam (50—51).

Narrat ceteros Graecos ultro principatum detulisse maioribus, quippe qui vetere rei publicae forma usi essent (17, 6, 80). Sed ipsum imperium maris nec praedicat ut in Panegyrico, nec reprehendit ut in Symmachico, nisi quod dicit Athenienses virtutibus suis principatum adeptos postea, cum opinarentur potentiam suam esse inexsuperabilem, atque cum malo civitatis statu utentes omnibus in odium venissent, paene servitio oppressos esse (6, 17). Cum autem narret in § 12: *ἁπάσης γὰρ τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὴν πόλιν ἡμῶν ὑποπεσούσης . . . οὐδένα χρόνον τὰς εὐτυχίας κατασχεῖν ἠδυνήθημεν,* plane significat per se optandum esse, ut urbs imperium teneat. — Postea vero res gestas praedicans popularium Atheniensium laudat, quod Athenienses his rem publicam regentibus aliarum urbium arces obtinuerint (65: *τὰς τῶν ἄλλων ἀκροπόλεις φρουροῦντας*; cf. *περὶ εἰρ.* 92), praeclare Athenas exornaverint (66): *ὥστ᾽ ἔτι καὶ νῦν τοὺς ἀφικνουμένους νομίζειν αὐτὴν ἀξίαν εἶναι μὴ μόνον τῶν Ἑλλήνων ἄρχειν, ἀλλὰ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων,* post Cononis victoriam denuo maris imperium acceperint (64—66; cf. 69: *οἱ δὲ* (sc. *ἠξίουν*) *τῶν μὲν ἄλλων ἄρχειν, τοῖς δὲ πολίταις ἴσον ἔχειν*), quam laudationem concludit his verbis (71): *τάχ᾽ οὖν ἄν τις θαυμάσειεν, τί βουλόμενος ἀντὶ*

τῆς πολιτείας τῆς οὕτω πολλὰ καὶ καλὰ διαπεπραγμένης ἑτέραν ὑμᾶς πείθω μεταλαβεῖν [1]).

Confecti fessique fuerunt Athenienses bello cum sociis composito; etiam alio ex libro tum [2]) scripto hoc percipimus, ex Xenophontis [3]) dico qui Πόροι inscribitur libro. — Xenophon vel genere et vitae fortunis, ut popularibus inimicus esset, impulsus non solum sibi persuaserat condemnandas esse rationes crudeles, quibus Athenienses imperii aetate usi erant [4]), sed etiam omnino eorum cupiditatem potentiae improbasse videtur. In sermone enim circiter 365 scripto [5]), quem in Commentariis Socrates habet cum Pericle, Periclis illius filio (III 5), Atheniensibus corruptis (15—17) res gestae maiorum imitandae proponuntur (9—12): imperium autem inter eas non commemoratur. Bella Persarum afferuntur, et paulo post Pericles interrogat (13): καὶ θαυμάζω . . . ἡ πόλις ὅπως ποτ' ἐπὶ τὸ χεῖρον ἔκλινεν. Civitas Atticae finibus, quos natura ipsa terminaverit, contenta tutissima esse demonstratur (25—28). — Tum autem, paulo post pacem confectam, Xenophon illum de vectigalibus libellum conscripsit. Cuius libri caput V tantopere cum sententiis Symmachici Isocratis congruit, ut Xenophon ad ipsum hunc librum se applicasse putatus sit [6]).

1) Ipse enim scriptor sentit has rei publicae popularis laudes male congruere cum orationis proposito: cf. §§ 71—77.

2) Cobet, Nov. lect., 1858, 756 sq., Kaibel, Hermae 25, 1890, 597, Friedrich, Jahrb. f. class. Philol. 41, 1895, 695 sq.

3) Cf. A. Zurborg, De Xenophontis libello qui Πόροι inscribitur, Diss. Berol. 1874, 17 sq.

4) Quod apparere puto ex verbis, quibus usus narrat Athenienses a. 404 harum iniuriarum paenituisse (Hellen. II 2. 3 et 10).

5) E. Richter, Jahrb. f. class. Philol. Suppl. XIX, 1893, 129 sq. et 150.

6) Kaibel, l. c., p. 594 sq. — Equidem hoc sumere non audeo. Consensus inveniuntur sententiarum, non verborum; quis autem dubitat, quin tum eiusmodi sententiae pervulgatae fuerint, praecipue apud Eubuli amicos?

Et ipse studet Athenienses retinere, ne denuo potentiam amissam per vim recuperare conentur, contendens eos, si iuste se gerant ac pacem colant, Graecos reconciliaturos esse (5. 8—10: cf. Isocr. 8. 21 sq.); itaque demonstrat maiores belli Persarum aetate beneficiis ceteris Graecis datis principatum nactos esse, sed tum crudeliter dominantes imperio privatos esse (5. 5—6: cf. Isocr. 8. 30).

Multa hac aetate convenerant, quibus efficeretur, ut imago imperii Atheniensis vulgo nigris coloribus depingeretur. Altera societas dilapsa erat, Atheniensium plurimi bellis proximis defatigati tranquillum beatae pacis statum pulcherrimum ducebant, iis, qui tum rem publicam aegram gubernabant, ad consilia pacis exsequenda cupiendum erat imperium pristinum male audire, cogitatione philosophica Plato aliique iam diu ad id condemnandum commoti erant: hac aetate gloria imperii constare non poterat.

Caput IV. Posteriore saeculo quarto quae fuerit imperii existimatio.

1. Duobus ferme annis post, quam Symmachicus conscriptus erat, anno 353, Isocrates libellum qui περὶ ἀντιδόσεως inscribitur composuit (cf. § 9). Cuius orationis paragraphis 101—139 Timotheum, amicum suum, paulo ante in exsilio mortuum (101), defendit atque laudat. Quo cum argumento Symmachici sententiae convenire vix poterant; itaque rhetor satis longe de iis decedit. Nam etsi negat Timotheum rationes violentas a ceteris Atheniensibus probatas secutum esse (108, 116—118, 121—128) [1]), tamen praedicat eum per-

1) Constat Timotheum consilia pristini imperii recepisse atque perficere conatum esse; cf. Ed. Meyer, V, p. 452 sq.

multas urbes Athenarum potestati subiecisse (107—113: τοσαύτας ἧρηκε πόλεις κατὰ κράτος, ὅσας οὐδεὶς πώποτε τῶν ἐστρατηγηκότων e. q. s., 114: εὐεργεσίαι). — Postea ut iudicibus, quos finxit, vitam suam studiaque commendet et accusatorem criminetur, demonstrat rhetores philosophosque semper urbem maxime auxisse, sycophantas ei summa attulisse damna. Quam ad rem probandam inter eos, qui cogitando atque dicendo praestiterint, cum Periclem (234, 307; cf. 111) tum Themistoclem laudat dicens (233): εἰς τοῦτ' αὐτῶν τὰ πράγματα προήγαγεν, ὥστε ... πολὺν χρόνον δεσπόται τῶν Ἑλλήνων κατέστησαν, et (307): τοὺς προγόνους ἐπὶ τὴν ἡγεμονίαν καὶ τὴν δυναστείαν ... προαγαγών. Ut autem sycophantarum quanta sit vis nocendi illustret, ita fortunas imperii describit (316—319): maiores postquam magnam potentiam adepti superbire coeperint, improborum hominum consiliis usos esse; hanc fuisse causam omnium calamitatum, imperii ruinae[1]). Nam ita factum esse, ut Athenienses crudeliter imperantes et ipsorum et sociorum optimos expellerent; qua re socios iratos ab Atheniensibus defecisse ad Lacedaemonios.

In Philippo autem libello a. 346 conscripto Isocrates denuo iudicia de imperio maritimo profert, quae non ita multum discrepant a Symmachici sententiis. Lacedaemoniis quidem imperium maris omnium malorum fontem fuisse contendit (61). — Regem Philippum studet hoc libro ad consilia sua perficienda inducere eum adhortans, ut et Graecos beneficentia ac liberalitate sibi conciliet et cum iis coniunctus bellum contra Persas

---

1) In Symmachico Isocrates omnia mala repetit ex imperii natura, in Areopagitico ex deminutione potestatis Areopagi, hoc loco ex ea re, quod Athenienses viris procacibus civitatem mandaverint. Rhetor, quam rem impugnat, hanc omnium calamitatum principalem causam esse fingit.

capessat; quam ad rem adiuvandam[1]) explanat Athenienses fortissime cum Persis belligerantes amplissimas laudes consecutos esse, sed eos a nullo laudari, quod imperium maris tenuerint (146: οὐδεὶς ἂν ἐπαινέσειεν sc. τὴν πόλιν ἡμῶν . . . ὅτι τῆς θαλάττης ἦρξεν), quod socios hauserint[2]), libidinose in urbes subiectas consuluerint; immo his ex rebus iis nata esse multa convicia (146—148).

Postremum Isocrates annis 342/39 senex plane grandis Panathenaico rationes suas explicavit (cf. §§ 3, 266/70). Propositum ei erat Athenas laudare ita, ut urbis res gestas cum Lacedaemonis compararet (39/41, 238). Id enim spectabat, ut Philippo urbis res gestas ut imitandas, Lacedaemonis vitia ut devitanda demonstraret[3]), et aperte se laudationem urbis scribere velle profert (5, 35, 236/7). Sed ubi primum et Atheniensium et Lacedaemoniorum imperium commemorat, concedit: ὅλως μὲν οὖν οὐδετέραν ἐπαινῶ· πολλὰ γὰρ ἄν τις αὐταῖς ἐπιτιμήσειεν (53; cf. 64, 156/8, 161), et cum ceteras urbis res gestas summis laudibus praedicet, imperium tractans sicut in Panegyrico pro laudatione scribit apologiam, cum antea pronuntiaverit: βουλόμενος ἐπιδεῖξαι τὴν πόλιν ἡμῶν πλειόνων ἀγαθῶν αἰτίαν γεγενημένην τοῖς Ἕλλησιν ἢ τὴν Λακεδαιμονίων (24; cf. 41, 96, 112, 134, 175), hac in parte legimus: τήν τε πόλιν τὴν Σπαρτιατῶν ἐπιδείξειν περὶ τὰς πράξεις τὰς προειρημένας πολὺ πικροτέ-

1) Cf. Wendland, l. c., 129 sq.

2) Cum Isocrates in or. XV Periclem praedicaverit dicens (234): καὶ πρὸς τούτοις εἰς τὴν ἀκρόπολιν οὐκ ἐλάττω μυρίων ταλάντων ἀνήνεγκεν (similiter in § 307 et VIII 126), hoc loco legimus (V 146): τὴν πόλιν ἡμῶν οὐδεὶς ἂν ἐπαινέσειεν . . . ὅτι τοσοῦτον πλῆθος χρημάτων εἰσπράξασα τοὺς συμμάχους εἰς τὴν ἀκρόπολιν ἀνήνεγκεν. Hanc igitur rem Pericli laudi vertens reticet, unde hae pecuniae exactae sint, eam urbi ignominiae esse dicens addit: εἰσπράξασα τοὺς συμμάχους, nec vero hic Periclem commemorat! (cf. p. 67. 1).

3) Cf. Wendland, l. c., 150, 171.

ραν καὶ χαλεπωτέραν τῆς ἡμετέρας γεγενημένην (65; similiter in 66, 70, 89, 94, 156/8).

Itaque affert opprobria etiam tum a Spartanorum amicis (62/63: τοὺς ἀηδῶς ἀκούοντας τῶν λόγων τούτων, 65, 70, 89, 98) in imperium Atheniense facta, quibus obiciebant Atheniensibus, quod Meliis Scionaeis Toronaeis perniciem struxissent (63, 70, 89), socios in urbis iudicia venire coegissent (63, 66), tributa ab iis exegissent (63, 67). Insuper affert et Athenienses et Lacedaemonios a plurimis obiurgari, quod utrique, etsi polliciti sint se Graecos a Persarum dominatu defensuros esse, eos sua servitute oppresserint (97)[1], quod utrique factionum certamina et caedes in urbibus moliti sint, rerum publicarum status commutaverint (99).

Praeterea si respiciemus Isocratem, ut demonstravimus, et in libello de bonorum permutatione scripto et in Philippo hoc constare dicere Athenienses imperium adeptos insolenter se gessisse (XV 316—18, V 146), cognoscemus a permultis Graecis etiam tum male audisse imperium Atheniense.

Hoc loco scriptor primum quidem dicit se criminibus aequis contradicere nolle nec posse (64). Id unum se ostendere velle Lacedaemonios in omnibus his rebus multo graviora deliquisse (65/66), eos esse harum rerum magistros (101: ἀρχηγοὶ καὶ διδάσκαλοι), Athenienses eas sero a Lacedaemoniis didicisse (96: ὀψιμαθεῖς, 101: μαθηταί). Itaque dicit priscos Atheniensium maiores numquam ulli urbi imperare cupisse, Lacedaemonios, ubi primum in Peloponnesum invaserint, summae impe-

1) Κατεδουλώσαντο. Obiectum esse Atheniensibus, quod sociis pristini imperii aetate servitutem iniunxissent, Isocrates raro affert: et hoc loco et in IV 109; cf. praeterea VIII 144 et XII 42. Saepius Lacedaemonios dicit civitates servitute oppressas tenuisse, velut IV 123, 124, 127.

randi cupiditati indulsisse (98); fingit igitur Athenienses etiam in ea re, quod postea sociis imperaverint, Lacedaemoniorum mores imitatos esse (cf. 96, 101)[1]). — At procedente libro rhetor etiam ipsa crimina illa in imperium Atheniense facta quam maxime minuere studet similibus utens argumentis atque in Panegyrico usus est. Ea enim, quae Atheniensibus de Meli aliarumque civitatum calamitatibus obiciebantur, ita diluit, ut confirmet Athenienses non peccasse nisi in parvulis insulis vel oppidis, quae plurimi Graeci ne noverint quidem (70, 89). Nullam vero iniuriam Athenienses sociorum urbibus intulisse ante pugnam ad Aegos Flumina commissam; post pugnam demum ad Leuctra (ἐπειδὴ Λακεδαιμόνιοι . . . ἐξέπιπτον ἐκ τῶν πραγμάτων: cf. Wendland, l. c. 154.1) duos vel tres duces eorum Lacedaemonios imitantes in quibusdam oppidis peccasse (99—100). Et ad veritatem suam confirmandam addit verba: οὐ γὰρ ἀποκρύψομαι τἀληθές. — Crimen de tributis factum impugnat dicens socios ipsos, cum principatum Atheniensibus mandassent, ea constituisse (67; cf. 52)[2]); deinde ea non, ut Athenae servarentur, pensa esse, sed ut sociorum libertas atque res publicae a crudeli superbaque dominatione decemvirum et Lacedaemoniorum vindicarentur, postremo opibus civitatum sub imperio Atheniensium magnopere auctis (cf. Paneg. 103) eam fuisse parvam partem lucri, quod socii ex imperio tulerint; pro quo oportuisse socios, si paululum quidem sapuis-

---

1) Nec tamen hoc loco (§ 98) negat Athenienses postea imperasse Graecis (Wendland, l. c. 153[3]; in ipsius Panathenaici §§ 53, 56, 63 imperium Atheniense commemorat, cf. § 59: δυναστεία). Spectat hoc loco ad eos solum maiores, qui fuerint ἐν τοῖς ἐπέκεινα χρόνοις τοῖς ἀναριθμήτοις, scilicet priusquam urbs imperium instituit.

2) Apparet hoc convenire in tributa a. 477 constituta; sed postea Athenienses ad arbitrium suum ea auxerunt, urbesque per vim subactas coegerunt tributa a se edicta pendere.

sent, maximas gratias habere Atheniensibus (68/69; cf. Paneg. 107). — Praeterea scriptor profert Athenienses, cum imperium tenerent, Persas acriter coercuisse et oram Asiae aliosque fines hostibus eripuisse, sociis dedisse (59/61, 102; cf. Pg. 106, 117/20). Benevolentia autem amicitiaque commotos Athenienses sociis persuasisse contendit, ut eundem rei publicae statum instituerent, quem ipsi haberent (54; cf. Paneg. 105/6). Etiam ex ea re, quod Athenienses per sexaginta quinque annos imperium obtinuerint (a. 477—412; cf. p. 62. 1), Lacedaemonii per decem annos, intellegi posse dicit, quanto lenius Athenienses res gubernaverint (56); et cum utrique Graecis in odio venissent, Athenienses bello decem annorum victos esse, Lacedaemonios una pugna, illos celerrime ex calamitate se recepisse, hos ne tum quidem pristinam potentiam recuperasse (57—58).

Priore libri parte scripta Isocrates in gravem morbum incidit; post tres demum annos eo defunctus librum confecit (266/70). Sed iudicia sua interim nonnihil commutaverat (Wendland, l. c., 162, 175). Itaque de imperio quoque Atheniensi tum alias sententias protulit. Hac enim in parte confirmat imperio accepto depravatam esse veterem rei publicae formam[1]), nam cum maris

---

1) Rem publicam pulcherrime constitutam esse dicit, postquam Theseus regimen detulerit populo (130—131): κατεστήσαντο γὰρ δημοκρατίαν οὐ τὴν εἰκῆ πολιτευομένην καὶ νομίζουσαν τὴν μὲν ἀκολασίαν ἐλευθερίαν εἶναι, τὴν δ᾽ ἐξουσίαν ὅ τι βούλεταί τις ποιεῖν εὐδαιμονίαν (cf. Thuc. III 82. 4, Platon. Reipubl. p. 560 E), ἀλλὰ τὴν τοῖς τοιούτοις μὲν ἐπιτιμῶσαν, ἀριστοκρατίᾳ δὲ χρωμένην. Transfert igitur in illam Thesei aetatem rei publicae statum, quem ipse pulcherrimum ducit; qua in re Isocratem similia facere atque eum, qui Draconis rei publicae formam finxit (Arist. Ἀθην. πολ. c. IV), commemoravit P. Wendland (l. c., 160. 3). — Conferri possunt cum Isocratis sententia, quae de Thesei re publica dicit Aristoteles (Ἀθην. πολ. 41. 2): ἡ ἐπὶ Θησέως γενομένη (sc. μεταβολή), μικρὸν παρεγκλίνουσα τῆς βασιλικῆς et Plutarchus (Thes. c. 25): οὐ

imperio necessario multa coniuncta esse mala (114/117): Symmachici igitur audimus rationes [1]). Maiores autem, qui imperium tam damnosum acceperint, Isocrates hoc loco diligenter defendit (cf. p. 67. 1); dicit enim statim apertum fuisse maioribus omnes has calamitates coniunctas esse cum potentia; eos tamen imperium iniustum subisse, ut maius Lacedaemoniorum servitutis periculum effugerent (114, 117) [2]).

2. Hac aetate qui clarissimi erant rerum scriptores, Theopompus et Ephorus, cum aliis in rebus tum in iudiciis de imperio Atheniensi factis valde inter se differebant. T h e o p o m p u m enim optimatem constat acerbissimum erga Atheniensium populares odium habuisse (cf. Hellen. Oxyrh. I. 3, II. 2; frgm. 267, 148, 103, 205, 373, Grenfell-Hunt); eius ex iudiciis percipere possumus, quo animo tum fuerint in Athenienses ei ex sociis pristinis, qui rem publicam suam Athenarum auctoritate liberare volebant. Nam Theopompus puer cum

---

μὴν ἄτακτον οὐδὲ μεμιγμένην περιεῖδεν ὑπὸ πλήθους ἐπιχυθέντος ἀκρίτου γενομένην τὴν δημοκρατίαν, ἀλλὰ πρῶτος ἀποκρίνας χωρὶς εὐπατρίδας καὶ γεωμόρους καὶ δημιουργοὺς e. q. s. (nullo alio loco traditur Theseus hos tres populi ordines condidisse: Busolt II², p. 93. 3). Cum autem Theseus ceteris locis semper ut rei publicae vere popularis auctor praedicetur (cf. Busolt II², p. 91), ab optimatibus minime celebretur (Theophr. Charact. 26. 6, Plut. Thes. 25: ὅτι δὲ πρῶτον ἀπέκλινε πρὸς τὸν ὄχλον ὡς Ἀριστοτέλης φησίν), fortasse ex locis supra allatis concludere possumus aliquando optimates quosdam demonstrare conatos esse formam rei publicae a Theseo institutam minime fuisse summam democratiam, et Isocratem hoc loco ab eiusmodi fama profectum esse.

1) Ex maris imperio effectum esse, ut populi potestas admodum augeretur, Isocrates et hoc Panathenaici loco et in Symmachici § 74 sq. explicat; similia de Lacedaemoniis docet VIII 102.

2) Hoc argumentum Thucydides similiter Euphemum (VI 82. 2—3, 83. 4) et Atheniensium legatos (I 75. 3—4, 76. 2) afferentes fecit cf. p. 42.

patre, Lacedaemoniorum amico, ex Chio fugere coactus ab Alexandro demum in patriam restitutus est (Phot. bibl. 176). Chius autem, eius patria, inter civitates fuit, quae primae a 357 ab Athenis desciverunt. Itaque etsi nullum fragmentum exstat, in quo scriptor diligentius de imperio Atheniensi disserat, tamen pro certo habere possumus eum in hoc quoque invectum esse, in illa potissimum digressione, qua Atheniensium popularium duces tractavit (in Philipp. l. X; cf. frgm. 90 et 97)[1]. Cognoscimus enim eum hac in parte Themistocli maledixisse (frgm. 85—87, cf. Plut. Arist. c. 24), tributa (φόροι) commemorasse (frgm. 92) reprehendentem, quod Atheniensium duces ea postea auxissent, ut magnis sumptibus populum oblectare possent (Plut. Arist. c. 23/24)[2], fabulatum esse Cleonem a sociis pecuniis corruptum esse (frgm. 96; cf. Aristoph. Acharn. 6), aliis modis hunc increpitasse (frgm. 94 et 95).

Ephorus ex contrario plerumque Atheniensium res gestas quam maxime praedicare studet[3]. Itaque narrat, quantam potentiam Athenienses Persis a Cimone prorsus victis adepti sint (Diod. XI 62.2; cf. 85.2)[4], quantopere eis temporibus omnes artes et disciplinae floruerint, imprimis Athenis (Diod. XII 1.3—2.1); sed tamen ipse quoque fatetur Athenienses postea insolentia

---

1) Putandus tamen est Theopompus imperii res gestas plerumque ita diffamasse, ut ea singulorum virorum facinora esse fingeret; confer, quae Ed. Meyer (Theopomps Hellenica, 1909, p. 150 sq.) de eius rationibus exposuit.

2) Verisimile esse horum capitum fundamenta maximam partem ad Theopompum esse referenda cum alii antea tum W. Fulst (Die Quellen Plutarchs für das Leben des Aristides, Progr. Duderstadt 1885, 20 sq.) demonstravit, quamquam de Plutarchi ratione scribendi hodie rectius iudicare didicimus.

3) Cf. L. Holzapfel, l. c., p. 8 sq.

4) Diodorus hac in parte Ephorum excerpsit; cf. R-E V. 1, p. 679 (Schwartz).

elatos (Diod. XII 54.3; cf. XIII 30) iam non leniter habuisse socios, sed violenter atque superbe iis imperasse (Diod. XI 70.3).

Confirmatur igitur, quod iam ex Isocratis libellis hac aetate scriptis intelleximus, tum nondum oblivione obruta fuisse, quae Athenienses imperium maris tenentes peccassent, etiam tum vulgo male audisse Atheniensium in Graecos imperium. Quas ad sententias paulo post se applicare poterat Duris narrans, quae scelera incredibilia Pericles commisisset in Samios (frgm. 59, 60, Müller).

3. Aristotelis quoque de imperio iudicia firmare poterant eiusmodi de eo opinionem; Platonis enim hac de re sententias hic maxima ex parte recepit. — Non aliter ac Plato solam eam rem publicam in Politicis suis respexit, quae una urbe contineretur[1]; itaque nec in Politicis diligentius de imperio Atheniensi disseruit nec id recte aestimare potuit. Praeterea ipse quoque putavit eadem morum praecepta rei publicae sequenda esse atque singulis hominibus, rei publicae quoque finem (τέλος) esse beatitudinem (εὐδαιμονία), et virtutes civitati ad effectum perducendas esse, hanc ut assequeretur[2]). Ius vero validioris cupiditatemque potentiae augendae prorsus abnuit (Polit. VII 2, p. 1324 b. 22—1325 a. 15) et aperte Lacedaemonis consilia condemnat (VII 14, p. 1333 b. 5 —1334 a. 10), cum alia tum hoc docens: ἔτι δὲ οὐ διὰ τοῦτο δεῖ τὴν πόλιν εὐδαίμονα νομίζειν καὶ τὸν νομοθέτην ἐπαινεῖν, ὅτι κρατεῖν ἤσκησεν ἐπὶ τὸ τῶν πέλας ἄρχειν. ταῦτα γὰρ μεγάλην ἔχει βλάβην et: τήν τε τῶν πολεμικῶν ἄσκησιν . . . δεῖ μελετᾶν . . . ὅπως ζητῶσι τὴν ἡγεμονίαν τῆς ὠφελείας

1) Eum uno loco, VII 7, p. 1327 b. 29 sq., hanc rationem supergressum esse constat.

2) Cf. ex. c. Polit. p. 1323 b. 29—42, 1331 b. 24—1332 a. 10, Ethic. Nicom. p. 1102 a. 7 sq., Ethic. Eud. p. 1241 b. 11 sq, Magn. Moral. p. 1181 a. 24.

ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλὰ μὴ πάντων δεσποτείας. — Itaque dubium esse non potest, quin Aristoteles imperium quoque Atheniense improbaverit, quin ipse hac in re consenserit cum auctore illo, quem in libro de Atheniensium republica scripto secutus est.

Accedit, quod IV 11, p. 1296 a. 32 sq. de imperio et Lacedaemoniorum et Atheniensium ita iudicat: ἔτι δὲ καὶ τῶν ἐν ἡγεμονίᾳ γενομένων τῆς Ἑλλάδος πρὸς τὴν παρ' αὐτοῖς ἑκάτεροι πολιτείαν ἀποβλέποντες οἱ μὲν δημοκρατίας ἐν ταῖς πόλεσι καθίστασαν, οἱ δ' ὀλιγαρχίας[1]) οὐ πρὸς τὸ τῶν πόλεων συμφέρον σκοποῦντες, ἀλλὰ πρὸς τὸ σφέτερον αὐτῶν. Quibus ex verbis apparet Aristotelis ex rationibus et Lacedaemoniorum imperium et Atheniensium fuisse παρέκβασιν[2]). — Praeterea Aristoteles imperium Atheniense commemorat III 13, p. 1284 a. 38 sq.; postquam enim attulit tyrannis obici solere, quod optimos cives de medio tollerent (p. 1284 a. 26 sq.), atque dixit etiam res publicas testarum suffragiis idem studere perficere, addit: τὸ δ' αὐτὸ καὶ περὶ τὰς πόλεις καὶ τὰ ἔθνη ποιοῦσιν οἱ κύριοι τῆς δυνάμεως, οἷον Ἀθηναῖοι μὲν περὶ Σαμίους καὶ Χίους καὶ Λεσβίους· ἐπεὶ γὰρ θᾶττον ἐγκρατῶς ἔσχον τὴν ἀρχήν, ἐταπείνωσαν αὐτοὺς παρὰ τὰς συνθήκας. Rationem igitur, quae cum rei publicae popularis tum tyrannidis propria habebatur (cf. h. op. p. 15. 1), Aristoteles confestim exemplo imperii Atheniensis illustrare studet, quamquam hoc non ita aptum est![3])

---

1) Idem commemorat V 7, p. 1307 b. 19 sq.; cf. etiam V 10, p. 1312 a. 39 sq.

2) Cf. III 6, p. 1279 a. 17 sq.: ὅσαι (sc. πολιτεῖαι) δὲ τὸ σφέτερον μόνον τῶν ἀρχόντων (sc. συμφέρον σκοποῦσιν) ἡμαρτημέναι καὶ πᾶσαι παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν· δεσποτικαὶ γάρ.

3) Ipse Aristoteles vel potius eius auctor in Ἀθην. πολ. c. 24. 2 refert: τοῖς συμμάχοις δεσποτικωτέρως ἐχρῶντο πλὴν Χίων καὶ Λεσβίων καὶ Σαμίων. Cf. Thuc. I 19, III 10. 5, 39. 2. — Ad Sami dumtaxat fortunas haec sententia convenit (Thuc. I 115. 2—3), et

De perniciosa tamen vi, quam potentia maritima ad res civiles habeat, per se Aristoteles lenius iudicat quam Plato [1]). Ei quoque persuasum est ea re fieri potuisse, ut status rei publicae Atheniensium magis magisque depravaretur, quod populus, cum fuisset imperii maris auctor, superbire coepisset (II 12, p. 1274 a. 11 sq., VI 7, p. 1321 a. 13 sq.: ἡ δὲ ψιλὴ δύναμις καὶ ναυτικὴ δημοτικὴ πάμπαν; cf. Ἀθην. πολ. c. 27. 1, 41. 2). Nec tamen ut Plato putat hanc necessario omni civitati damnosam esse. Intellegit enim (cf. VII 6, p. 1327 a. 11—b. 15), quanta commoda praebeat potentia navalis (περὶ δὲ τῆς ναυτικῆς δυνάμεως, ὅτι μὲν βέλτιστον ὑπάρχειν μέχρι τινὸς πλήθους οὐκ ἄδηλον), et existimat periculum a vulgo classiario rei publicae instans prohiberi posse (τὴν δὲ πολυανθρωπίαν τὴν γιγνομένην περὶ τὸν ναυτικὸν ὄχλον οὐκ ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ταῖς πόλεσιν· οὐθὲν γὰρ αὐτοὺς μέρος εἶναι δεῖ τῆς πόλεως).

Damnaverunt igitur imperium et Plato et Aristoteles. Itaque verisimile est, id a discipulis quoque eorum, ab Academicis et a Peripateticis, in universum male audisse; et existimasse Theophrastum iniuste Athenienses imperasse sociis, apparet ex eius de Aristide iudicio (Plut. v. Aristid. c. 25), quod supra tractavimus (p. 33. 1 et 67. 1).

4. Opinetur quis unum quidem huius aetatis scriptorem imperii Atheniensis tempora duxisse pulcherrima: Demosthenem dico. Neque enim hic ut Isocrates id agebat, ut concordia conciliaretur inter omnes Graecos, sed ad Athenarum solum spectabat potentiam; haec autem splendidissime floruerat, cum urbs imperium obtineret. Praeterea Demosthenes quamquam in oratio-

conferri possunt, quae apud Thucydidem Mytilenaei de Atheniensium consiliis explicant (III 11. 3).

1) Sequitur tamen Platonem, cum quaerit, num rei publicae periculosa sit maris vicinia.

nibus saepe iustitiae normas semper sequendas esse dicit, tamen conviciis hac ex ratione in imperium Atheniense factis certe ex animo non assentiebatur (cf. XV 29, XVI 10). — Sed tamen Demosthenes ubi praeclara maiorum facinora laudat plerumque sola ea affert, quae bellis Persarum gesta sunt (cf. VI 11, IX 36 sq., 41—45, XIV 29/30, 40, XVIII 204/5, 208, XIX 311/12, XXIII 205, 207, 209, XIII 21/2 = XXIII 196/8, XVIII 204 = XXII 13). Imperium Atheniense uno loco, quem alia in oratione repetit, praedicat (III 24 = XIII 26); praeterea id commemorat IX 23. Ex parte eum, ut tam raro afferret imperium, commotum esse puto ea re, quod hoc inde ab infelici bello sociali ne a populo quidem Atheniensi bene audiebat, praesertim cum inde a quinto saeculo etiam atque etiam permulti exsisterent, qui imperium pristinum esse condemnandum confirmarent. Accedit, quod Demosthenes studet Athenienses cum ad alia tum ad bellum cum Philippo gerendum adhortari, cum Philippo qui barbarus multas civitates Graecas iam violaverit, omnes sub dominationem suam subicere conetur (cf. ex. c. IX 31, 26, VIII 49 = X 25, III 20, XVIII 208: τὸν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας κίνδυνον ἀράμενοι). Quam ad rem adiuvandam civibus saepe proponit maiores semper infirmos sublevasse, omnes ab iniuriis defendisse, semper suae utilitatis immemores totius Graeciae vindicasse libertatem (II 24, IV 3, VI 8, 10—12, VIII 41 = X 13, VIII 49 = X 25, X 46, XVIII 99—100: μύρια τοίνυν ἕτερ᾽ εἰπεῖν ἔχων παραλείπω, ναυμαχίας ἐξόδους καὶ πάλαι γεγονυίας καὶ νῦν ἐφ᾽ ἡμῶν αὐτῶν, ἃς ἁπάσας ἡ πόλις τῆς τῶν ἄλλων Ἑλλήνων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας πεποίηται). Quae sententiae pulcherrimae descriptione imperii Atheniensis non ita facile confirmari poterant; nonne Athenienses

illa aetate eadem fere commiserant, quae Demosthenes Philippo crimini dat[1])?

Quin etiam ipse orator comparat principatus Atheniensium Lacedaemoniorum Thebanorum cum Philippi rebus gestis (IX 23 sq.), concedit etiam illos Graecis iniurias attulisse, quamquam nimirum contendit iniurias a Philippo factas multo graviores esse. De Atheniensium autem imperio hoc loco dicit: (23) καίτοι προ-

1) Et utitur Demosthenes, ut omnes contra Philippum instiget, similibus rationibus atque apud Thucydidem hostes Atheniensium sunt usi. Quod liceat paulo accuratius explicare, quamquam non ignoro solis his rebus demonstrari non posse usum esse Demosthenem ipsis Thucydidis libellis. — Dicit enim Demosthenes Philippum natura sua necessario impelli, ut semper potentiam augere studeat otio omnino spreto (I 14: τὴν φιλοπραγμοσύνην ᾗ χρῆται καὶ συζῇ Φιλ. e. q. s., IV 9: ἀεί τι προσεπιβάλλεται, 42: φιλοπραγμοσύνη, ἐπιχειρῶν ἀεί τινι καὶ τοῦ πλείονος ὀρεγόμενος; cf. Thuc. I 70. 9: πεφυκέναι ἐπὶ τῷ μήτε αὐτοὺς ἔχειν ἡσυχίαν μήτε τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ἐᾶν, VI 9. 3, 87. 3: πολυπραγμοσύνη, I 70. 8: τὸ αἰεὶ κτᾶσθαι, III 38. 7, IV 55. 2, VIII 96. 5: ἐπιχειρηταί, IV 60. 2), eum igitur omnibus Graecis insidiari (VIII 35: ἐπιβουλεύει . . ἡμῖν καὶ πᾶσι τοῖς Ἕλλησι, VI 2, IX 19/20, 27, XVIII 66: ἀρχὴν καὶ τυραννίδα τῶν Ἑλλήνων . . . ἑαυτῷ κατασκευαζόμενον; cf. Thuc. I 124. 3: τὴν . . . πόλιν τύραννον ἐπὶ πᾶσιν ὁμοίως καθεστάναι, I 68. 3, III 63. 3). Sicut Lacedaemonii pronuntiaverant se Graecorum libertatem ab Atheniensium servitute vindicare velle (Thuc. I 124. 3: τοὺς νῦν δεδουλωμένους Ἕλληνας ἐλευθερώσωμεν), ita Demosthenes nunc dicit VIII 46: ἵν' ὥσπερ ἐκεῖνος ἕτοιμον ἔχει δύναμιν τὴν ἀδικήσουσαν καὶ καταδουλωσομένην ἅπαντας τοὺς Ἕλληνας, οὕτω τὴν σώσουσαν ὑμεῖς καὶ βοηθήσουσαν ἅπασιν ἕτοιμον ἔχητε, II 8, III 20, VIII 49, IX 22, 25—27, XVIII 66, 72, 208: τὸν ὑπὲρ τῆς ἁπάντων ἐλευθερίας καὶ σωτηρίας κίνδυνον ἀράμενοι. — Anaximenes vero enuntiatum, quod Isocrates saepe de Atheniensibus protulit, ad Philippum transfert dicens (Demosth.) XI 4: οὐκ ἀγνοεῖται δ' ὑπὸ Θετταλῶν δεσπόζειν ἀλλ' οὐχ ἡγεῖσθαι τῶν συμμάχων προαιρούμενος; cf. Isocr. IV 80: μᾶλλον ἐπιθυμοῦντες ἡγεμόνες ἢ δεσπόται προσαγορεύεσθαι, 104: συμμαχικῶς ἀλλ' οὐ δεσποτικῶς βουλευόμενοι περὶ αὐτῶν, VIII 134: ἢν . . . μηδὲ δεσποτικῶς ἀλλὰ συμμαχικῶς αὐτῶν ἐπιστατῶμεν, cf. VIII 91.

στάται μὲν ὑμεῖς ἑβδομήκοντ' ἔτη καὶ τρία τῶν Ἑλλήνων ἐγένεσθε et (24) ... τοῖς τότ' οὖσιν Ἀθηναίοις, ἐπειδή τισιν οὐ μετρίως ἐδόκουν προσφέρεσθαι, πάντες ᾤοντο δεῖν ... μετὰ τῶν ἠδικημένων πολεμεῖν, (25): ἡμεῖς αὐτοὶ καὶ Λακεδαιμόνιοι ... ὑπὲρ ὧν τοὺς ἄλλους ἀδικουμένους ἑωρῶμεν, πολεμεῖν ᾠόμεθα δεῖν. καίτοι πάνθ' ὅσ' ἐξημάρτηται ... τοῖς ἡμετέροις προγόνοις ἐν τοῖς ἑβδομήκοντα, ἐλάττον' ἐστίν ... ὧν Φίλιππος e. q. s. — Cognoscimus igitur non ignorasse Demosthenem imperium Atheniensibus non integrae laudi esse, si ad iustitiae normam referretur.

Praeterea scriptor imperium commemorat III 24 sq. (= XIII 26 sq.) dicens: πέντε μὲν καὶ τετταράκοντ' ἔτη τῶν Ἑλλήνων ἦρξαν ἑκόντων. Solo hoc loco de imperio Atheniensi verbum usurpat ei conveniens, verbum ἄρχειν [1]). Simul autem ut huius verbi vim minuat, addit: τῶν Ἑλλήνων ἑκόντων. Contendens autem Athenienses quadraginta quinque annos, id est usque ad annum 432,

1) In universum tamen dicit VIII 60 (= X 62): οἶδεν γὰρ ἀκριβῶς, ὅτι δουλεύειν μὲν ὑμεῖς οὔτ' ἐθελήσετε ... ἄρχειν γὰρ εἰώθατε et XXII 68: εἰ γὰρ ἀνδραπόδων πόλις ἀλλὰ μὴ τῶν ἄρχειν ἑτέρων ἀξιούντων, quibus locis nonnihil enuntiatis contrariis adductus est, ut verbum ἄρχειν usurparet. Nam de Atheniensibus dicens plerumque utitur verbo προΐστασθαι; cf. X 46: ἐξέστητε ... τῆς ὑποθέσεως, ἐφ' ἧς ὑμᾶς οἱ πρόγονοι κατέλιπον, καὶ τὸ μὲν προΐστασθαι τῶν Ἑλλήνων καὶ δύναμιν συνεστηκυῖαν ἔχοντας πᾶσι τοῖς ἀδικουμένοις βοηθεῖν περίεργον ἐπείσθητ' εἶναι e. q. s., XXIII 124: τῶν Ἑλλήνων ἐπ' ἐλευθερίᾳ προεστάναι φάσκοντες, XIII 8: νῦν δὲ πρωτεύειν μὲν ἀξιοῦτε καὶ τὰ δίκαι' ὁρίζειν τοῖς ἄλλοις, cf. IX 23; quibus ex locis apparet, quid Demosthenes intellegat verbo προΐστασθαι (vel πρωτεύειν) utens. Itaque contendit (XIX 64): οὔσης τῆς Ἀθηναίων πόλεως, ᾗ προεστάναι τῶν Ἑλλήνων πάτριον καὶ μηδὲν τοιοῦτον περιορᾶν γιγνόμενον, sed (VIII 42): ἔστε γὰρ ὑμεῖς οὐκ αὐτοὶ πλεονεκτῆσαι καὶ κατασχεῖν ἀρχὴν εὖ πεφυκότες, ἀλλὰ ... ἐνοχλῆσαι τοῖς ἄρχειν βουλομένοις καὶ πάντας ἀνθρώπους εἰς ἐλευθερίαν ἐξελέσθαι ἕτοιμοι. — Saepe autem de Philippi imperio utitur verbis ἄρχειν, ἀρχή: cf. II 15, VI 12, 17, XVIII 63, 66, 67, 293.

Graecis voluntariis imperasse, simulat tum demum socios imperium indignari coepisse[1]). Omnino hic unus est locus, quo quis audet sociis odio fuisse imperium Atheniense infitiari. Ne Isocrates quidem hoc usquam conatur (cf. IV 123, 107, XII 116), quamquam in aliis libellis aliter diiudicat, utrum hoc odium iustum fuerit necne (cf. p. 69).

Demosthenes autem hoc loco aetatem imperii spectans narrat Athenienses magnas pecunias in arcem adduxisse — neque tamen dicit unde — terra marique multas et claras victorias peperisse, urbem magnificis aedificiis exornasse, sed ipsos modestissime vixisse; cum autem antea (III 21) una enumeraverit Aristidem Niciam Demosthenem Periclem, hoc ut demonstret affert: τὴν Ἀριστείδου καὶ τὴν Μιλτιάδου καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν! — In XIII 28/9 accuratius commemorat propylaea, navalia, porticus, cetera illa aedificia, sed hoc quoque loco dicit Themistoclem Cimonem Aristidem tum fuisse, cum ea constructa sint.

Praeterea Demosthenes nonnullis aliis locis (XXII 13, 76, XXIII 206/7, XXIV 184) laudat, quod maiores aedificiis illis urbem ornaverint, ita tamen ut his locis non commemoret Athenienses tum principatum tenuisse. Explicare studet XXII 12 sq. semper omnes Atheniensium res, prout urbs naves triremes possederit aut iis caruerit, bene aut male se habuisse. Quod ad probandum solos eos affert maiores, qui ad Salamina Persas vicerint, nec dubitat eos laudare, quod propylaea et parthenona aedificaverint, cum in XXIII 207 iisdem fere verbis utens atque in III 26 et XIII 29 contendit Themistoclis et Miltiadis aetate constructa esse propy-

1) Wendland, l. c., 315. 6, confert Isocr. 12. 52 (67), 4. 72, 7. 17, 80, 8. 30, 76; quibus locis Isocrates affirmat socios ultro Atheniensibus principatum detulisse; nec tamen dicit Athenienses imperio instituto sociis non invitis imperasse.

laea, navalia, porticus. Omnino scriptor Periclem Niciam Demosthenem uno loco supra allato (III 21) commemorat, Cimonem bis (XIII 29 et XXIII 205), sed Themistoclem novies, Miltiadem sexies, Aristidem quinquies.

Quibus ex rebus concludendum est Athenienses etiam tum servasse memoriam splendoris, quo floruisset urbs, cum imperium maritimum teneret (cf. XXI 143: λέγεται τοίνυν ποτ' ἐν τῇ πόλει κατὰ τὴν παλαιὰν ἐκείνην εὐδαιμονίαν Ἀλκιβιάδης γενέσθαι), sed tamen eos non putasse ipsum imperium urbi esse gloriae. Itaque etiam Demosthenes maiores imperasse Graecis commemorare fugit et plerumque solos eos viros praedicavit, qui fundamenta potentiae magnificentiaeque urbis iecerant (XIV 40: ἐκ μέν γε τῶν πρὸς τοὺς ἑαυτοῦ προγόνους πολέμων σύνοιδε (sc. βασιλεύς) τὴν πόλιν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην γεγονέναι, cf. III 26), qui ipsi Graecis nondum imperaverant, sed eos ab imperio Persarum liberaverant.

Idem efficitur ex orationibus ceterorum huius aetatis rhetorum, quae adhuc exstant. Nam Aeschines Hyperides Dinarchus nusquam imperium Atheniense commemorant, praeterquam quod Aeschines et Dinarchus Aristidem laudantes obiter commemorant eum tributa constituisse (Aeschin. II 23, III 258, Dinarch. I 37); hoc enim cum Aristidis nomine quasi coniunctum erat (cf. Thuc. V 18.5, Aristot. Ἀθην. πολ. 23.5, Demosth. 23.209, Ps.-Andoc. IV, 11—12). — Deinde Aeschines prudentiam maiorum imitandam proponens (II 74 sq.) sicut epitaphiorum scriptores enumerat pugnas ad Plataeas, Salamina, Marathona, Artemisium commissas, Tolmidae expeditionem; ut autem eorum vitia (τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν καὶ τὴν ἄκαιρον φιλονικίαν) demonstret, commemorat eos expeditionem in Siciliam suscepisse, anno 404 priores pacis condiciones a Lacedaemoniis datas repudiasse. Eos obtinuisse imperium maris

non dicit. Praeterea Aeschines de imperii aetate disputat II 172 sq., sed hunc locum ex Andocidis III 3 sq. exscripsit[1]). — Cum autem Aeschines et Dinarchus Atheniensibus principatum Graeciae deberi dicunt, verbo ἡγεμονία utuntur (cf. Aeschin. III 134, II 72, Dinarch. III 12, I 76).

L y c u r g u s in oratione in Leocratem habita saepe victorias de Persis partas praedicat (42, 68—73, 80, 104, 108—109) laudans, quod Athenienses semper parati fuerint omnes Graecos liberare (42: ὑπὲρ τῆς τῶν ἄλλων ἐ λ ε υ θ ε ρ ί α ς ἀγωνίζεσθαι, 70: βίᾳ καὶ τοὺς ἄλλους ἠ λ ε υ θ έ ρ ω σ α ν et: τοὺς μὲν εὐεργετοῦντες, 73, 104). Dicit quidem Athenienses principatum adeptos esse (72: τοιγαροῦν τοιαύταις χρώμενοι γνώμαις ἑβδομήκοντα μὲν ἔτη τῶν Ἑλλήνων ἡ γ ε μ ό ν ε ς κατέστησαν), sed ex eorum rebus ea aetate gestis solas pugnas cum Persis factas affert maiores laudans, quod Persas pacem illam[2]) facere coegerint, qua omnium Graecorum libertas confirmata sit (73: ὅρους τοῖς βαρβάροις πήξαντες τοὺς εἰς τὴν ἐ λ ε υ θ ε ρ ί α ν τ ῆ ς Ἑ λ λ ά δ ο ς et: τοὺς δ' Ἕλληνας α ὐ τ ο ν ό μ ο υ ς εἶναι μὴ μόνον τοὺς τὴν Εὐρώπην, ἀλλὰ καὶ τοὺς τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντας); praeterea dicit in § 104 victoria Marathonia commemorata: οὐκ ἐπὶ τῇ δόξῃ μέγα φρονοῦντες, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ταύτης ἄξια πράττειν, τ ῶ ν μ ὲ ν Ἑ λ λ ή ν ω ν π ρ ο σ τ ά τ α ς, τ ῶ ν δ ὲ β α ρ β ά ρ ω ν δ ε σ π ό τ α ς ἑαυτοὺς καθιστάντες (cf. § 61: τῆς τῶν Ἑλλήνων εὐδαιμονίας ἠξιώθημεν

---

1) Explicatur hoc loco, quam bene Atheniensibus semper evenerint omnes res, si pace sint usi. Imperium non affertur, sed describitur Athenienses illa aetate urbem communisse, permultas naves aedificasse, navalia construxisse, magnas pecunias in arcem condidisse, quotannis milia ducenta talenta ex tributis (φόροι) accepisse, Cherronesum Naxum Euboeam possedisse. — Andocides nimirum imperium Atheniense laudare non dubitat (ἡ ἀρχὴ τῶν Ἑλλήνων: I 108, 130, III 37/8; cf. h. op. p. 54).

2) Calliae pacem dicit.

προστάται γενέσθαι). Nec mirum est, quod imperasse Athenienses Graecis non dicit. Omnes enim huius aetatis oratores, cum laudibus efferunt Atheniensium res gestas, non tam imperii aetatem quam bella Persarum praedicare solent; ipsum vero imperium (ἀρχή) commemorare fugiunt.

5. Restat, ut excutiamus, qua ratione in epitaphiis imperium Atheniense tractatum sit. — Ac primum quidem de Gorgiae epitaphio tradit Philostratus (vit. soph. I 9, Diels, Vorsokr. II²1, 1907, p. 544): παροξύνων τε γὰρ τοὺς Ἀθηναίους ἐπὶ Μήδους τε καὶ Πέρσας .... ὑπὲρ ὁμονοίας μὲν τῆς πρὸς τοὺς Ἕλληνας οὐδὲν διῆλθεν, ἐπειδὴ πρὸς Ἀθηναίους ἦν ἀρχῆς ἐρῶντας, ἣν οὐκ ἦν κτήσασθαι μὴ τὸ δραστήριον αἱρουμένους, ἐνδιέτριψε δὲ τοῖς τῶν Μηδικῶν τροπαίων ἐπαίνοις ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς, ὅτι τὰ μὲν κατὰ τῶν βαρβάρων τρόπαια ὕμνους ἀπαιτεῖ, τὰ δὲ κατὰ τῶν Ἑλλήνων θρήνους. — Putabat igitur Gorgias Athenienses, quia Graecis imperare studerent, obesse suis de omnium Graecorum concordia consiliis; cum praeterea demonstraverit victorias de Graecis partas dignas esse quae deplorarentur [1]), concludere possumus eum hac in oratione imperium Atheniense non laudasse. In epitaphio autem, quae erat Athenarum laudatio, Gorgias id aperte improbare non poterat: ergo verisi-

1) Isocrates (IV 158) hanc sententiam imitatus est. — Secundum eam imperium Atheniense condemnandum erat, nisi quis ut Isocrates in Panegyrico res prorsus depravare in animum inducebat. Qui in Panegyrico eam sententiam probans Lacedaemonis imperium vituperat (IV 128); et fuisse, qui Atheniensium quoque res in socios gestas hac sententia usi improbarent, apparet ex verbis, quibus Elpinica dicebatur salutasse Periclem, cum hic Samo subacta Athenas revertisset (Plut. Pericl. 28): Ταῦτ', ἔφη, θαυμαστά, Περίκλεις, καὶ ἄξια στεφάνων, ὃς ἡμῖν πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ἀπώλεσας πολίτας οὐ Φοίνιξι πολεμῶν οὐδὲ Μήδοις, ὥσπερ οὑμὸς ἀδελφὸς Κίμων, ἀλλὰ σύμμαχον καὶ συγγενῆ πόλιν καταστρεφόμενος. — Nescio an exquiri non possit, qua aetate haec narratio orta sit.

millimum est eum omnino imperium Atheniense non commemorasse.

Plato in Menexeno[1]) dialogo verbose res gestas maiorum praedicat (239 b sq.). Sed postquam bella cum Persis facta descripsit (239 d—241 e), dicit (242 a): εἰρήνης δὲ γενομένης καὶ τῆς πόλεως τιμωμένης (!) ἦλθεν ἐπ' αὐτήν, ὃ δὴ φιλεῖ ἐκ τῶν ἀνθρώπων τοῖς εὖ πράττουσι προσπίπτειν, πρῶτον μὲν ζῆλος, ἀπὸ ζήλου δὲ φθόνος· ὃ καὶ τήνδε τὴν πόλιν ἄκουσαν ἐν πολέμῳ τοῖς Ἕλλησι κατέστησε. Consilio igitur Plato non modo imperium, sed ne principatum quidem commemorat! Deinde affert pugnas ad Tanagram et Oenophyta commissas (242 a—b), bellum Peloponnesiacum (242 c—243 d), bellum civile (243 e—244 b), sed ne hac quidem in parte imperium maritimum ullo verbo commemorat.

Quod Hyperides in epitaphio suo imperium Atheniense non commemorat, mirandum non est, cum maiorum res gestas omnino non laudet (cf. § 4).

Ps.-Demosthenes autem consulto in epitaphio nec principatum neque imperium Atheniensium commemorat. Brevissime enim illam aetatem perstringens dicit (§ 11): οὗτοι δὲ τὸν ἐκ πάσης τῆς ἠπείρου στόλον ἐλθόντα μόνοι .... οὐ μόνον ἠμύναντο, ἀλλὰ καὶ τιμωρίαν ὑπὲρ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκουν ἐπέθηκαν. ἔτι τοίνυν τὰς ἐν αὐτοῖς τοῖς Ἕλλησι πλεονεξίας κωλύοντες, πάντας ὅσους συνέβη γενέσθαι κινδύνους ὑπέμειναν, ὅπου τὸ δίκαιον εἴη τεταγμένον, ἐνταῦθα προσνέμοντες ἑαυτούς, ἕως εἰς τὴν νῦν ζῶσαν ἡλικίαν ὁ χρόνος προήγαγεν ἡμᾶς.

E contrario Ps.-Lysias[2]) bellis Persarum de-

---

1) Hoc dialogo Platonem epitaphiorum scriptores ludificari atque iocose imitari mea quidem sententia recte docuerunt H. Diels, Über das dritte Buch der aristotelischen Rhetorik, A.B.A. 1886, 21 sq. et P. Wendland, Die Tendenz des platonischen Menexenos, Hermae 25, 1890, 171 sq.

2) Lysiam non esse huius epitaphii auctorem persuasum habeo;

scriptis narrat (§ 47): ὑπὸ πάντων ἠξιώθησαν ... ἡγεμόνες γενέσθαι τῆς Ἑλλάδος, et postea, §§ 55 sq., etiam maris imperium (τῆς θαλάττης ἄρξαντες) laudat atque accuratius de eo disputat. Sed cum totus eius epitaphius tum haec ipsa de imperio Atheniensi pars valde congruit cum Isocratis Panegyrico[1]). Itaque vel ex ea re, quod Ps.-Lysias discrepans a ceterorum epitaphiorum scriptoribus imperium Atheniensium tractat, ita tamen, ut admodum cum Isocratis descriptione consentiat, efficimus Ps.-Lysiam Isocratis imitatione hanc ad rem inductum esse. Et profecto demonstravit aliis ex causis E. Wolff (l. c.) Ps.-Lysiam hoc loco, quo imperium describit, inepte Isocratem imitari[2]).

Colligendum igitur nobis est scriptores epitaphiorum universe imperium Atheniense commemorare fugisse atque iam Platonem in Menexeno hunc epitaphiorum morem secutum esse. Neque hoc mirum est. Cum harum enim laudationum proposito, ex quo demonstrandum erat maiores semper iustitia pietate innocentia commotos omnium Graecorum libertatem defendisse[3]), non facile conveniebat imperii descriptio.

---

cf. Elsa Gossmann, Quaestiones ad Graecorum orationum funebrium formam pertinentes, Diss. Jenae 1908, 47 sq., R.-E VI. 1, 219 (Thalheim).

1) Cf. Ps.-Lys. 56/57 cum Isocr. Paneg. 103—106. — Accuratius hanc rem explicavit E. Wolff, Quae ratio intercedat inter Lysiae epitaphium et Isocratis panegyricum, Diss. Berol. 1895, 29 sq.

2) Non omnia eius argumenta sunt probabilia, sed optime hoc observavit (p. 34 sq.): Ps.-Lysias imperio laudato contendit (57): ὧν ἕνεκα δεῖ μόνους καὶ προστάτας τῶν Ἑλλήνων καὶ ἡγεμόνας τῶν πόλεων γίγνεσθαι. Quid haec sententia sibi vult in epitaphio? — Plane tamen congruit cum Isocratis Panegyrici consiliis (cf. §§ 122, 20, 25).

3) Cf. Menex. 239 a: ἐν πάσῃ ἐλευθερίᾳ τεθραμμένοι, b: ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας .... μάχεσθαι, 242 a: ὑπὲρ τῆς Βοιωτῶν ἐλευθερίας, 242 b: ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας βοηθοῦντες, ἐλευθερώσαντες οἷς ἐβοήθουν, 243 a: ὑπὲρ τῆς Λεοντίνων ἐλευθερίας, 244 c: τοὺς μὲν

Conclusio.

Quae cum ita sint, non temere puto nos supra coniectasse iam Herodotum iisdem causis commotum esse, ne Atheniensium in Graecos imperium laudaret. Thucydides quidem Athenienses fecit imperium laudantes ac defendentes, sed ex utilitatis ratione (τὸ συμφέρον), numquam ex iustitiae regula (τὸ δίκαιον); in Periclis epitaphio praeclare descripsit, quam splendide Athenae imperii aetate floruissent, sed ipsum imperium in hac oratione brevissime tetigit (cf. h. op. p. 37) addens (II 41.4): μετὰ μεγάλων δὲ σημείων καὶ οὐ δή τοι ἀμάρτυρόν γε τὴν δύναμιν παρασχόμενοι τοῖς τε νῦν καὶ τοῖς ἔπειτα θαυμασθησόμεθα οὐδὲν προσδεόμενοι οὔτε Ὁμήρου ἐπαινέτου οὔτε ὅστις ἔπεσι μὲν τὸ αυτίκα τέρψει e. q. s. Et profecto, cum permulti maledicta in imperium conscriberent, non exstitit, qui veram eius laudationem componeret. Isocrates in Panegyrico et Panathenaico pro laudatione imperii scripsit defensionem, et postremo cum aliis causis tum conviciis etiam atque etiam iteratis effectum est, ut Demosthenes ceterique illorum temporum oratores imperium commemorare fugerent, non secus atque epitaphiorum scriptores (cf. etiam Xenoph. Memor. III 5. 9–12). Congruerunt hac in re cum iis, quae docuit Aristoteles. Qui haud ambigue declarat imperium Atheniense non ei, qui laudationem, sed ei, qui vituperationem Atheniensium sibi proposuerit, materiem praebere (Rhetor. II 1396 a. 12 sq.): sc.: πῶς ἂν δυναίμεθα ἐπαινεῖν Ἀθηναίους] εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ἢ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἢ τὰ ὑπὲρ Ἡρακλειδῶν πραχθέντα ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων. ἐκ γὰρ τῶν

τῆς ἐλευθερίας ἐπικούρους ... ἡμᾶς. - 245 a: τοὺς μὲν Ἕλληνας ... ἀπελύσατο δουλείας; cf. Ps.-Lysiae §§ 34, 42, 44, 47, Hyperid. Epitaph. § 5, Ps.-Demosth. §§ 7, 10, 11.

ὑπαρχόντων ἢ δοκούντων ὑπάρχειν καλῶν ἐπαινοῦσι πάντες. ὁμοίως δὲ καὶ ψέγουσιν ἐκ τῶν ἐναντίων, οἷον ὅτι τοὺς Ἕλληνας κατεδουλώσαντο, καὶ τοὺς πρὸς τὸν βάρβαρον ἀριστεύσαντας καὶ συμμαχεσαμένους ἠνδραποδίσαντο . . . καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτον ἁμάρτημα ὑπάρχει αὐτοῖς [1]).

Austere igitur Graeci universe de imperio iudicaverunt, et perraro emolumenta afferuntur, quae socios ex imperio cepisse constat. — Quod quomodo singulis aetatibus effectum sit optimatium studiis, sociorum in Athenienses odio, hostium urbis invidia, philosophorum doctrinis, aliis rebus, explanare studuimus. Accedunt hae causae quasi principales:

Omnino existimabant Graeci unamquemque urbem (πόλις) ius habere libertatis, iniustum esse unam urbem imperare aliis; qua ex sententia condemnandum erat imperium neque umquam scriptores Graeci laudaverunt Athenienses, quod primi tot Graeciae urbes una re publica comprehendissent [2]). Ne ipsi quidem Athenienses reapse veterem rei publicae formam, πόλιν dico, excesserunt; nam quamquam permultas urbes Graecas coniunxerunt, imperium constituerunt Atheniense, quod in unius urbis dominatu positum erat, ad unius urbis arbitrium administrabatur. Itaque cum exsisterent sophistae velut Gorgias, qui inter omnes civitates Graecas conciliandam esse concordiam pronuntiarent, ne hi quidem, quamquam tum communem opinionem regebant, imperium Atheniense praedicare poterant.

---

1) Idem contendit Isocrates in V 146.

2) Prope accedit hanc ad sententiam Thucydides dicens (II 64. 3): ἧς (sc. τῆς δυνάμεως) ἐς ἀίδιον τοῖς ἐπιγιγνομένοις . . . . μνήμη καταλελείψεται, Ἑλλήνων τε ὅτι Ἕλληνες πλείστων δὴ ἤρξαμεν e. q. s. — Sed ipse quoque ad solos Athenienses spectans hoc praedicat, quod urbs ea re maximam potentiam adepta sit, non ideo, quod Athenienses Graecos una re publica coniunxerint.

Deinde communis Graecorum sententia, quam cum alii scriptores tum philosophi, rhetores, epitaphiorum auctores sequebantur, semper quam maxime postulabat, ut etiam civitatum res gestae ad normas iustitiae ceterarumque hominum virtutum referrentur, quamquam praecipue Thucydidis aetate multi hanc sententiam impugnaverunt. Num ipsi Athenienses, si maiores praedicabant, eos opibus valentes multis civitatibus imperasse narrabant? Immo laudare solebant maiores, quod semper iustitiam atque pietatem erga deos maxime colentes benignissime recepissent atque adiuvissent omnes, qui iniurias passi aut propter infirmitatem a validioribus oppressi essent, velut Heraclidas et Adrastum, quod semper suorum commodorum immemores omnium Graecorum defendissent libertatem. Imperium autem Atheniense multis in rebus simile fuerat tyrannidis, quam Graeci vehementissime oderant, planeque abhorrebat ab illis laudibus pulcherrimis.

Index rerum.

Atheniensibus crimini dantur
- res publicae populares ubique constitutae 4. 13. 14. 15. 16 sq. 22. 50. 60. 61. 74. 76. 78. 82.
- praesidia (φρουραί) 4 sq. 6. 71.
- cleruchiae 4. 5. 16. 60. 61. 69.
- iudicia in urbe habita 4. 5, 2. 14. 16. 22. 27. 46. 60. 76.
- tributa (φόροι) 3 sq. 5. 7. 22. 43. 69. 75, 2. 76. 77. 80. 87.
- Meli Scionae Toronae poenae 47. 48. 60. 76. 77.

Obicitur Atheniensibus, quod sociorum vires exhauriant 12, 2. 13. 15 sq. 21 sq. 23. 54. 62. 75. 80.

Quae emolumenta socii ex imperio percipiant 9. 17. 26—31. 61 sq. 77 sq. 89.

Socii vocantur δοῦλοι 17. 20 sq. 26. 36. 43—45. 52. 76. 94.

Imperium vocatur τυραννίς 3, 2. 8 sq. 15, 1. 16, 1. 21. 26. 36. 61. 68 sq. 82.

Disputatur de Atheniensium iure imperandi 7 sq. 10. 11, 4. 12. 24. 31 sq. 39—43. 61 sq.
- de sociorum in urbem odio 14 sq. 24 sq. 26. 31. 46 sq. 62. 69. 77 sq. 86 sq.

Quae rationes Athenienses in imperii administratione sequi debant 14—16. 24 sq. 26. 45—48.

Ostenditur maris imperio effici, ut populi potestas augeatur 6 sq. 17. 54. 65. 78 sq. 83.
- imperium Atheniensibus omnium malorum fontem esse 54. 56. 64 sq. 67. 74. 78 sq.

Utrum iustitiam (τὸ δίκαιον) an utilitatem (τὸ συμφέρον) valere oporteat 33—39. 43 sq. 56. 58. 66. 67, 1. 81. 84. 95.

Vita.

Natus sum Hermannus Rohde a. d. XVII Kal. Sept. a. 1890 in oppido Hannoverano, cui est nomen Quakenbrück, patre Bernhardo matre Marie e gente Vollbrecht. Fidei adscriptus sum evangelicae.

Per novem annos urbis patriae scholam, quae appellatur Realgymnasium, frequentavi, per aliquot annos simul privatim linguae Graecae elementis imbutus sum. Maturitatis testimonio instructus vere anni 1908 Heidelbergam me contuli ibique per bis senos menses versatus imprimis operam dedi, ut litteras Graecas et Latinas diligentius discerem. Vere a. 1909 gymnasii quam vocant maturitatem Hannoverae adeptus Berolinum migravi, ut ad studia germanistica et philologica me converterem. Anno post Gottingam profectus sum ibique totum studiis philologicis et historicis me dedi.

Docuerunt me viri doctissimi Boll, Brandt, de Domaszewski, de Duhn, Gerhard, Oncken, Uhlig, Windelband Heidelbergenses, Herrmann, Lasson, R. M. Meyer, Norden, Preuner, Reich, Roethe, E. Schmidt, W. Schulze, Wentzel, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses, Baumann, Bousset, Brandi, Busolt, Körte, Leo, Mollwo, G. E. Müller, Pohlenz, H. Schultz, Stein, Titius, Wackernagel, Wendland Gottingenses.

Ad exercitationes archaeologicas Preuner, germanisticas Herrmann, grammaticas Wackernagel, historicas Busolt, Stein, philologicas Gerhard, Wentzel benigne me admiserunt. In proseminarium philologicum Berolinense me recepit Norden, seminarii philologorum Gottingensis II et I per ter senos menses sodalis fui moderantibus M. Pohlenz, F. Leo, P. Wendland. — In hac dissertatione conficienda benignissime semper mihi adfuit M. Pohlenz; etiam G. Busolt eam benevolo consilio adiuvit.

Omnibus his viris optime de me meritis gratias habeo summas semperque habebo, imprimis vero M. Pohlenz, qui maxime studiis meis favit.